HENRICI MULLERI
Acad. Roſtochienſis h. t. RECTORIS

CONJUGII CLERICORUM
Patrocinium
ex

ORIENTE & OCCIDENTE

Cum
Diſſertatione Hiſtorico-Theologica
De NON-ORDINANDIS DIGAMIS ET NEOPHYTIS
ad I Tim. III v. 2. & 6.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

Additi ſunt Indiculi Locorum
Scripturæ, Auctorum & Rerum.

ROSTOCHI,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXV.

VIRIS

MAXIME REVERENDIS, EXCELLENTISSIMO, PRÆCLARISSIMIS ET DEVOTISSIMIS

DN. SUPERINTENDENTI, PASTORIBUS, COETERISQVE VERBI DIVINI MINISTRIS, DE ECCLESIA CHRISTI QVÆ LUBECÆ EST, OPTIME MERITIS ET MERENTIBUS INDIES,

DOMINIS FAUTORIBUS ET IN CHRISTO FRATRIBUS MAXIMOPERE HONORANDIS,

HENRICUS Müller / D.

S. P. D.

VIRI AMPLISSIME & MAXIME REVERENDI, FRATRES IN DOMINO PRETIOSISSIMI, ſi Antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudium utile unqvam fuit ac perneceſſarium, certe hoc noſtro tempore eſt, quo & doctrinam Pontificii, & Reformati diſciplinam ex eâ confirmatum eunt unicè. Haud deſunt tamen, qvi id ſtudii genus neſcio qvibus non proſcindant ſcommatis, deſcripta eſſe & mutuatitia cavillantes, quæ non ſunt proprii cerebelli commenta, ſed ex priſcis allegantur canonibus, Conciliis, Patrumq; ſcriptis, qveis niſi qvod novum eſt aut non ſapit, aut certè perparum. Hos ſi cum ratione inſanire dixeris, nihil à vero aberraveris. Contingat fors, uti

cum

cum Papæo diſputent, qui qvæ ex antiquitate adducit, aut non intelligit ipſe, aut non ſatis dextrè & candide explicat, aut obtorto, quod dici ſolet, collo in ſuam distorquet ſententiam. Dicant ſodes, Spiritus, quos ille induit, quomodo debellabunt? hominis audaciam quomodo retundent, ſi quæ proponunt Veteres juxta cum ignariſſimis ignorent? Qvanto rectius Vos, VIRI AMPLISSIMI, religioni Chriſtianæ conſuluiſtis ad hoc usq; temporis, atque etiamnum conſulitis, qui notitia Antiqvitatis eccleſiaſticæ accuratiore qvàm inſtructiſſimi & eſtis ipſi, & veſtros eſſe præoptatis. Tua, VENERANDE DN. SUPERINTENDENS, luci publicæ expoſita ſcripta nil niſi Deum & Verbum ejus ſapiunt, & quæ ac quà cum Verbo conveniunt poſitiones veterum. Nullius hic palpi res eſt. Vident, qui vel invident. Quàm pretioſum verò vobis ſit, VIRI PRÆCELLENTISSIMI, DN. ENGENHAGEN & DN. DAKENDORP, quod raritas ipſa commendant & antiquitas, qui vos nôrunt

veſtrosq; labores penitiùs, mirificè collaudant omnes. Nec de veſtro, VIRI DEVOTISSIMI, DN. STEINI, DN. WENDINE, DN. KRECHTING, in ſtudia hæc amore eſt quod addubitem, qui, cum veſtri apud nos videndi copia daretur, monumenta veterum vobis non in minimo eſſe pretio, ipſi haud obſcurè indigetaſtis. Idem de vobis, VIRI REVERENDI cæteri, perſvaſum mihi eſt, & perſvadent indies, qui literarum gratia huc advolantes ex veſtris fiunt noſtri. Noſtis utiq;, VIRI VENERANDI, Verbum DEI eſſe *omnia in omnibus*, uti loqui amat Lutherus, nec Antiquitatis conſenſum principium fidei æſtimatis aut primarium, aut (ſi ita loqvi liceat,) ſecundarium; ſicubi tamen Antiquitas, quæ *vel ſola*, teſte Baſilio, *canitie venerabilis eſt*, cum Scriptura exactè conſentit, nequaquam id, aut negligitis omninò, aut parvi penditis. Qvid mirum ergò, ſi opera noſtra VOBIS paulò liberius affluant? ſi conſecrentur VOBIS qvæ deamatis, & cum à ſa-

cris

cris negotiis contingit otium, in delitiis habetis? Hæ certè, qvas offero, pagellæ Hiſtorico-Theologicæ non præſidium ambituræ ad vos veniunt, (Licet enim ea ſit mea quædam veluti ſors, ut quicqvid à me prodit in lucem publicam iniqviſſima malevolorum experiatur judicia, tamen, ubi Dei cauſam defendo, nec homines metuo, nec ab hominibus, ſed Deo ipſo auxilium expeto & expecto,) ſed & eo, qvo jam dixi, VOBIS debentur nomine, & vel ideò potiſſimum, quod inter Eccleſiæ afflictiſſimæ ſuſpiria Vos plerumq; ſingulari atq; ineffabili mihi levamento eſtis & gaudio. Qvùm ſoleo eſſe ex intimiùs ad animum admiſſo Joſephi damno triſtiſſimus, plerumq; aut bona omina abs VOBIS per SCHOFIUM meum, quo pretioſior juvenum mihi nullus, aut ſalutem habeo, ô quàm exoptatam anxio pectori! Ingemiſcere vos tam publicè qvâm privatim ad faciem eccleſiæ laceram ſæpiuscule inaudio. Et quis non ingemiſcat? quis ſibi temperet abs lacrymis?

Qvis

Qvis non cum Paulo intonet; *Multi ambulant*, *quod etiam flens dico* &c. ὁ κύριος ἐγγύς. Qvapropter cogitemus, VIRI FRATRES, de remediis. Qvod facere vos pietas veſtra undiqvaque celebris dubitare me neqvaqvam permittit. Uti ergò ſentiatis, repoſtum apud me pectus, quod vos, vobisq; à Numine conceſſa magna χαρίσματα ſeriò veneretur, pagellas, ecce, has LUBENS MERITOQVE (juxta veterem formulam) *veſtris Excellentiis & Reverendis Dignitatibus* do, dico, conſecro. Vos hoc, quantillum etiam ſit, munusculum æqui boniq; conſulite, mecumq; Spiritu uniti Jeſum noſtrum indeſinentibus ſuſpiriis; ut eccleſiæ ſuæ jamdum agonizantis eheu! & tantum non exſpirantis; propter ſanctiſſima ſua vulnera miſereatur! fatigate. In cujus projecti curam perpetuùm ſalvete cum veſtris, & me amate.

Roſtochii 6. Novembr.
Anno 1665.

CONJUGII CLERICORUM
PATRONUS
ORIENS ET OCCIDENS

§. 1.

IN patrocinium conjugii Clericorum Orientem & Occidentem advocaturi ab ipſis exordimur Apoſtolis, quos inter fuiſſe uxoratos, quis dubitet? Marc., 30. expreſſa mentio fit *Socrus Petri*. Act. XX, 30. Philippus Evangeliſta *quatuor filias* habuiſſe dicitur. Et Paulus I Cor. IX, 5 teſtatur, Apoſtolos ἀδελφὰς γυναῖκας ſecum circumduxiſſe, quas uxores fuiſſe nulli dubitamus. Alioqui enim fœminæ cum Apoſtolo ſocietas ſuſpicione non caruiſſet inter malevolos. Nec honeſta mulier & ſuorum amans, relictis liberis, agnatis atq; cura familiæ, voluiſſet ſequi Apoſtolum magnam orbis partem peragrantem. An Petrus, cui erat uxor, relicta domi uxore, aliam circumduxiſſet? Ut taceam, abſurdam eſſe orationem, dicere *ſororem mulierem*. Nam qvi *ſororem* dicit, eo ipſo dicit *mulierem*. At *ſororem uxorem* dicere oratio eſt commoda: ſenſus enim eſt, *ſororem quæ ſit uxor*, ut per ſororem *mulier pia & Chriſtiana* intelligatur. Nec aliter intellexit hunc locum Clemens Alexandrinus, qui καὶ ὁ παῦλος, inqvit, [a] οὐκ ὀκνεῖ ἔν τινι ἐπιστολῇ τὴν αὐτοῦ προσαγορεύειν σύζυγον,

SEC. APOSTOLORUM

[a] l. III Strom.

γον, ἣν οὐ περιεκόμιζε διὰ τὸ τῆς ὑπηρεσίας εὐσταλές. Λέγει οὖν ἔν τινι Ἐπιστολῇ, Οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν; *Non tardat Paulus in quadam Epiſtola conjugem ſuam allegare, quam non circumduxit, ut ſibi eò melius miniſtraretur, dicit ergo in quadam Epiſtola; Annon poteſtatem habemus ſororem uxorem circumducere?* De Apoſtolorum uxoribus mentionem etiam faciunt Ignatius & Ambroſius, vel qvisquis eſt, qui ſub ejus nomine in Pauli Epiſtolas commentaria ſcripſit. *Ille* enim inter eos, qui γάμοις προσωμίλησαν, Petrum refert & Paulum. [b] *Hic, Omnes*, ait, [c] *Apoſtoli, excepto Johanne & Paulo, uxores habuerunt* Fruſtra regerit Bellarminus; [d] *Petrus & Apoſtoli omnes poſt vocationem renunciarunt officio conjugali. Nam cum Petrus dixiſſet Matth. XIX. Ecce nos reliqvimus omnia. Dominus addit; omnis qvi reliquerit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem &c. ubi ſatis apertè inter omnia, quæ legimus, Apoſtolos reliquiſſe, videmus etiam conjuges numerari.* Nam cum hæc dicerentur ad Apoſtolos, nondum, ſi Bellarmino credimus, vocati illi erant ad Sacerdotium, quod reipſa factum ipſo Pentecoſtes die vel centies affirmat Cardinalis. Nec de *diſcipulis* ſeorſim hæc loquitur Chriſtus, ſed de *omnibus Chriſtianis* promiſcuè. Præterea, illud OMNIA non *univerſalis* ſed *determinatæ* acceptionis h. l. eſt, ut Apoſtoli intelligantur reliquiſſe *relinquenda omnia.* Certe ly *Omnia* in Scriptura nonnunquam de ſolis ſumitur facultatibus II Sam. XVI, 4. Qvod ſi fides habenda Eccleſiæ Romanæ, quæ Petro dicit fuiſſe filiam ex nomine Patris *Petronilla* dictam, planum eſt, eam ſuſceptam à Petro tempore Apoſtolatus: nam Petrus cum Apoſtolatu Petri nomen accepit. Imo nec poterant, ſalvâ fide conjugali, ex conſenſu, niſi ad tempus abſtinere à commercio conjugali

b Ep. ad Philad.
c In II Cor. XI.
d l. II de Mon. c. 34.

Apoſtoli

Apoſtoli Maritus enim non habet poteſtatem corporis ſui. Et expreſſè Paulus; *Ne fraudate invicem, niſi ex mutuo conſenſu, idq; ad tempus.* I Cor. VII, 4. 5.

§. 2. Nec tantum ex Apoſtolis quidam erant conjugati, ſed & admittebant illi uxoratos in ordinem. Vult enim Paulus I Tim. III, 2. *Epiſcopum eſſe unius uxoris maritum.* Inſanit, qui pro *ſit* ſubſtituit *fuerit.* Ita enim verborum Pauli tota pericope luxatur & ſenſus depravatur. *Fuerit* ergo, *non ſit irreprebenſibilis, ſobrius* &c. ordinandus; qua ratione Epiſcopatus nihil aliud erit, quàm virtutum obliteratio qvædam & ab omni bono opere ceſſatio. Qvid, quod Apoſtolus ibidem præſcribit, quales oporteat eſſe uxores Epiſcoporum & Diaconorum? an credibile eſt, illum tradere præcepta uxoribus mortuis aut ejectis? Fruſtra pro comprobanda hac explicatione à Lapidenſi allegatur [e] auctoritas Chryſoſtomi. Illе enim non ex *ſua* ſed *aliorum* mente, τινὲς δὲ, inqvit, [f] ἵνα ἐκ μιᾶς γυναικὸς ᾖ φασὶ τοῦτο εἰρῆσθαι, *Quidam verò boc ita dictum ajunt, ut* ſcil. ad Epiſcopatum is aſſumatur, *qui unius fuerit uxoris vir.* Ex ſua mente autem alibi ſic loqvitur; [g] τίνος ἕνεκεν καὶ τὸν τοιοῦτον (ſc. μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα) εἰς μέσον παράγει; ἐπιστομίζει τοὺς αἱρετικοὺς τοὺς τὸν γάμον διαβάλλοντας, δεικνὺς, ὅτι τὸ πρᾶγμα οὐκ ἔστιν ἐναγὲς, ἀλλ' οὕτω τίμιον, ὡς μετ' αὐτοῦ δύνασθαι καὶ ἐπὶ τὸν ἅγιον ἀναβαίνειν θρόνον. *Cujus rei gratia etiam bujusmodi in medium adducit? obſtruit bæreticorum ora nuptias calumniantium, oſtendens eam rem culpa carere, imò adeo eſſe bonorabilem, ut cũ ipſa etiam poſſit qviſpiam ad ſanctum* Epiſcopatus *ſolium ſubvebi.* Non dicit, μετ' αὐτὸν poſt Conjugium, ſed μετ' αὐτοῦ, *cum eo.* Res hæc tã manifeſta, ut ex ipſis Adverſariis veritate convicti Baronius, Eſtius & quamplurimi alii non negẽt tempore Apoſtolorũ uxoratos aſſumtos eſſe in ſacrum ordinem:

[e] ad h. l.

[f] Hom. X in I Tim:

[g] Hom. II in Ep. ad Tit.

 at id

at id datum *neceſſitati* volunt,quia tunc non inventi fuiſſent epiſcopi, ſi tantum cœlibes fuiſſent admiſſi. Hoc pacto fas eſſet cuilibet hæretico eludere omnia Dei mandata,dicendo, hæc ad tempus eſſe conſtituta, & nunc exoleviſſe. Sanè nulla alia lex divina proferri poteſt, per quam hæc ſit immutata. Nec Chriſto, cùm Simonem uxoratum vocavit ad Apoſtolatum, defuit poteſtas alium vocandi qui cœlebs eſſet. Manet ergò, *jure divino* non eſſe prohibitum clericorum conjugium,quod nobiſcum fatenturThomas,[b] Bellarminus; [i] & ipſe juris Canonici canon *Sors non eſt*, qui habet; [k] *Copula Sacerdotis nec legali, nec Evangelica vel Apoſtolica auctoritate prohibetur: eccleſiaſtica tamen lege penitus interdicitur.*

[b] II qv. 88. a. 11.
[i] l. I de cler. c. 18.
[k] Cauſ. XXVI, q. 2.

SEC. I

§. 3. Poſt Apoſtolorum obitum eodem *Sec. I* nondum obtinuiſſe,ut ob conjugium quiſquam arceretur à ſacro ordine, contra adverſarios ex canonibus, quos illi vocant Apoſtolicos &Clementi Romano,quem in hoc ſeculum conjiciunt,tribuunt, probamus. Ita enim habet canon V· Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐσεβείας, ἐὰν δὲ ἐκβάλῃ, ἀφοριζέσθω, ἐπιμένων δὲ, καθαιρείσθω. *Si Epiſcopus aut Presbyter uxorem ſuam ſub prætextu pietatis ejecerit, ſeparetur, ſin perſeveraverit, deponatur.* Non loquitur Canon, ut vult Bellarminus, de *abjectione reſtricta ad curam maritalem*, ita ut conceſſum fuerit clericis abjicere uxores *quà thorum*,non autem *quà curam*. Dicit enim generaliter, μὴ ἐκβαλλέτω, qui autem vel thoro ſolùm ejicit, is certè ejicit, nec ſecus expoſuit Zonaras.

SEC. II

§. 4. Neq; *Sec. II* matrimonium legimus in Sacerdotibus damnatum, quin potius Polycratem habemus apud Euſebium [l] ex Patre Epiſcopo Epheſino natum Pa-

[l] l. V. H. c. 24.

tri

tri *uxoratum* in officio Epiſcopali ſuccedentem. Apud Irenæum quoq; [m] *Diaconum ſpecioſam uxorem domi habentem* invenimus. m l. I, c. 9.

§. 5. Sub initium *Sec. III* vixit Tertullianus, qvem & Presbyterum & uxoratum fuiſſe nemo ignorat. Floruit eâdem ætate Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, qui [n] *continentiam* ait eſſe *corporis deſpicientiam* κατὰ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν ὁμολογίαν, *juxta ſtipulationem coram Deo factam.* Ex qvo colligunt Eruditi, *ſtipulationes de continentia* tunc temporis in Eccleſia publicè fieri ſolitas. *Stipulandi modus* hic erat: Ab ordinandis ad munus eccleſiaſticum quærebatur, utrum vellent conjugio abſtinere, vel non. Si ſpopondiſſent velle ſe, uxorem ducere non poterant. Si nollent ſpondere continentiam, poſt electionem uxorem ducere permiſſum erat. Sponſiones iſtæ exigebantur, non quod conjugium cenſebatur impurum, vel quod voto clerici ſolebant adſtringi; ſed inprimis ob paupertatem eccleſiarum, quæ tot familiis Epiſcoporum, Presbyterorum, diaconorum alendis haud erant pares, [o] ſicuti Pelagius I dicit, cœlibatum ſacerdotum ideò inſtitutum, *ne eccleſiaſtica bona in uxores & liberos eorum diſſiparentur.* Qvantò rectius verò Cæſar Flavius Leo ad Stephanum Archiep. Conſtantinop. [p] Θαυμάζειν ἔπεισί μοι πῶς οὐκ εὐλαβήθησαν τινὲς, ὥσπερ ἐνδεῶς ἐκείνων ἐχόντων τολμᾶν, ἑτέρων ἐκθέσθαι νόμων, τοὺς ἱεροὺς καὶ θείους ἀθετεῖν νόμους. Καὶ γὰρ ἐν οἷς τὰ περὶ χειροτονίας ἐπισκόπων διατάττουσι, τῶν ἱερῶν θεσπιζόντων κανόνων, τὸν, ὃς ἐκ νομίμου γάμου παῖδας ἔχει, εἴγε ἡ ἄλλη τοῦ βίου ἀρετὴ ἐμποδὼν οὐχ ἵσταται, εἰς ἀρχιερωσύνην προάγεσθαι. οὗτοι ἀντιθεσπίζοντες φασὶ, μὴ εἶναι πρὸς Ἐπισκόπου ἀξίωμα τοῖς ἔχουσι παῖδας, κἂν δῶσιν ὅτι γάμου νομίμου, ἀναβαίνειν ἀκώλυτον. Ἴσως μὲν (τί γὰρ ἄν τις ἄλλο εἴπῃ;) ἐκεῖνο ἐπὶ νοῦν λαβόντες,

SEC. III.

n l. c.

o diſt. XXVIII c. de Syrac.

p Nov. II

τες, ὡς τῇ πρὸς τέκνα διαθέσει τὰς ἱερὰς ὑπάρξεις λυμανεῖται ὁ χειροτονούμενος. Πλὴν οὐκ ἔχει καλῶς ἡ αἰτία. οὕτω γὰρ ἂν καὶ ἀδελφῶν ἢ συγγενῶν ἑτέρων περιόντων, οὐκ ἔξει τις χώραν πρὸς ἐπισκόπου χειροτονίαν. ἡ γὰρ συγγενὴς διάθεσις καὶ πρὸς τούτους ὁρᾷ. Ἀλλὰ προειδότες τοῦτο οἱ θεῖοι κανόνες, ἔδοσαν τοῖς ἐπισκόποις ἐξουσίαν, εἰ συγγενεῖς εἶεν ἄποροι, ἐκ τῆς ἱερᾶς ὑπάρξεως τούτων παραμυθεῖσθαι τὴν ἀπορίαν. Ἡ οὖν ἐκ Θεοῦ βασιλεία ἡμῶν τοῦτο ἁρμοδιώτερον κατανοοῦσα τοῖς θείοις ἕπεσθαι ἐντάλμασι, σύμφωνον ἐκείνοις ἐκφέρει νόμον, ὥσπερ αὐτοῖς δοκεῖ· τὸ πρὸς ἀρχιερωσύνην ἀνάγεσθαι τὸν ἄξιον τῆς τιμῆς, κἂν ὦσι γοναὶ νόμῳ τετιμημέναι. οὕτως ὁρίζουσα, τὸν ἀποφθέγγεσθαι θαρσοῦντα νόμον, δίκην τῆς θρασύτητος τὴν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον διηνεκῆ ἀφωνίαν εἰσπράττεσθαι. *Mirari ſubit, quomodo non veriti nonnulli ſint ſacras divinasq; leges, tanquam illæ abſoluta non eſſent, promulgatis aliis legibus abrogare. Etenim cum ſacri canones, quibus locis de Epiſcoporum creatione præſcribunt, ſtatuant, eum qui ex legitimo matrimonio liberos habeat, ſi modo in reliqua vitæ ratione nihil impedimenti ſit, ad primarium Sacerdotium promoveri poſſe: hi in contrarium ſtatuentes ajunt, ut ii qvi liberos habent, tametſi legitimi conjugii munus ſint, ad epiſcopalem dignitatem evadant, ſuo impedimento non vacare. Quod ideo fortaſſe in animum induxerunt, qvod iſtiusmodi affectione qvâdam ergà liberos (qvid enim qvis aliud dicat?) ſacras facultates ob læſurus videatur. Verum non rectè ſeſe illa ratio habet. Sic namq; nec fratribus aliisve cognatis ſuperſtitibus acceſſum qvisquam ad epiſcopatum haberet, ſiqvidem & ad hos Sangvinis propinqvitatisq; affectio reſpicit. Quin & hoc prævidentes divini canones fecerunt episcopis poteſtatem, ut ſi ipſis pauperes cognati eſſent, illorum inopiam ex ſacris facultatibus ſublevarent. Noſtra igitur Imperatoria, qvæ ex Deo eſt, majeſtas, ſi mandatis divinis inſiſtatur; id longè convenientius fore animadvertens,*

madvertens, conſonam illis profert legem, ut quemadmodum ipſis videtur ad primarium ſacerdotium promoveri poſſe qui illo honore alioqvi dignus ſit, tametſi liberi ipſi legè tamen honorati ſint, id ita liceat: & ita qvidem cenſens, ut à lege quæ contradicere auſa fuerit in audaciæ pœnam perpetuam in futurum exigatur ſilentium.

§. 6. Viginti circiter poſt Clementem Alexandrinum annis floruit in Eccleſia orientali diſcipulus ejus Origenes, qvi qvidem, *Videtur mihi*, inquit alicubi, [q] *quod illius ſolius ſit offerre ſacrificium, qui indeſinenti & perpetuæ ſe devoverit caſtitati.* Sed præterquam qvod *privatum* hoc eſt *judicium*, & qvidem, ſicut verbum *videtur* indicat, mera *conjectura* ex verbo Dei non confirmata, fortaſſis etiam de iis tantum eſt intellectum, qui donum habent continentiæ, & quandiu habent. Non enim ab *invitis*, ſed *volentibus* ſponſionem continentiæ admittebant Veteres, per *volentes* intelligentes eos, qui *certò ſciebant* ſe habere donum continentiæ.

[q] Hom. XXIII in Num.

§. 7. Hac ipſa ætate Pontificem Romanum fuiſſe Calliſtum I ſcribit Bellarminus, ab eoq; vult emanaſſe hoc decretum; *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere ſ. matrimonia contrahere omninò interdicimus.* [r] Sed rectè Junius; *Non eſt hic canon Caliſti I ſed II. Nam cur illud Decretum Caliſti I Nicæna ſynodus ignoraſſet? nec illud penitus interdicimus ſtylus eſt prioris & incorruptioris ſeculi. Et cur Gratianus contra morem ſuum ordinemq; temporum poſtremo loco diſt. 27. canonem illum poſuiſſet? Caliſti eſt II cujus tempore juvenis Gratianus vixit decreti compilator.*

[r] diſt. XXVII can. Presbyteris.

§. 8. Vixit paulò poſt in eccleſia occidentali Cyprianus, qui *Felicis* presbyteri conjugati meminit, [s] & permittit

[s] lib. V. Ep. 15.

permittit voto adſtrictis, ſi non poſſint continere, ut
t lib. I Ep. 11 uxores ducant. [t] *Votum* verò intelligit ex *privato liberoq; propoſito*, non *imperio* aut *præcepto* factum. Ad continentiam enim & virginitatem, nec neceſſitatem, nec mandatum aliqvod impellere apud eundem ſcribit Auctor
u l. II de Mon. c. 34. ſermonis de nat. Dom. Bellarminus vult, [u] *Cyprianum loqui de virginibus, non quæ votum jam fecerunt, ſed quæ de voto faciendo adhuc deliberant.* At manifeſtè ſupponit Cyprianus, virgines illas jam eſſe *in actu ſuæ profeſſionis*, & in ipſa actuali vita monaſtica eas vel mutare propoſitum, vel experiri impoſſibilitatem continentiæ. Sed de his hoc loco dicendi plura nobis non eſt animus.

§. 9. Coætaneus Cypriani fuit Dionyſius Alexandrinæ eccleſiæ Epiſcopus, qui quod conjugatus in ſolio epiſcopali ſederit, ipſe nos docet, quando liberorum
w l. VI, c. 40 ſuorum meminit apud Evſebium, inquiens; [w] Ἐγώ τε καὶ οἱ παῖδες καὶ πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν, *Ego, & liberi, & fratrum multi.*

SEC. IV §. 10. *Seculo IV* circa A. D. CCCXIV habitum eſt Concilium Ancyranum, cujus canon X pro matrimonio Clericorum ita definit; Διάκονοι ὅσοι καθίστανται, παρ' αὐτὴν τὴν κατάστασιν εἰ ἐμαρτύραντο καὶ ἔφασαν χρῆναι γαμεῖν, μὴ δυνάμενοι οὕτω μένειν, οὗτοι μετὰ ταῦτα γαμήσαντες, ἔστωσαν ἐν τῇ ὑπηρεσίᾳ, διὰ τὸ ἐπιτραπῆναι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. Τοῦτο δὲ εἰ τινες σιωπήσαντες καὶ καταδεξάμενοι ἐν τῇ χειροτονίᾳ μένειν οὕτω, μετὰ ταῦτα ἦλθον ἐπὶ γάμον, πεπαῦσθαι αὐτοὺς τῆς διακονίας. *Diaconi quicunq; ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic manere, hi ſi poſtmodum uxores duxerint, ſint in miniſterio, eò quod eis Epiſcopus hoc commiſerit. Si qui autem tacuerunt, & in ordinatione, ut ita manerent, ſuſcepti ſunt, poſtea ad nuptias venerint, ii à diaconatu ceſſent.* Qua fronte pro adſtruendo

ſtituendo cœlibatu ordinibus ſacris in eccleſia orientali annexo canonẽ hunc allegare auſus fuerit Bellarminus, non abs re mireris, cum in eo omnem cœlibatus ſacerdotalis neceſſitatem tolli videas. Permittitur Diacono conſtituendo profiteri alterum, aut conjugium, aut cœlibatum; conjugium profeſſo integer manet diaconatus, non qvod ipſi conjugii poteſtas ab epiſcopo fiat, hæc enim cuiq; ſua eſt naturali jure, ſed quod ipſi poſt profeſſum conjugium, & non obſtante conjugii profeſſione, diaconatus ab epiſcopo ritè eſt commiſſus. Cœlibatum autem profeſſo non interdicitur nuptiis, ſed ſi ad eas tranſeat, diaconatus adimitur, non propter nuptias, ſed propter temerè datam promiſſionem, qvia diaconum non decet eſſe bilingvem, ſed inculpatum I. Tim. III & ab omni etiam ſpecie mali abſtinere. I Theſ. V.

§. 11. Concilium Ancyranum excipit Neocæſarienſe, cujus canone I prohiberi videtur presbyterorum matrimonium. *Πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι*, *Presbyter, ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur.* Sed quid velit hic canon, ex jam dictis ſatis conſtat. Nimirum qvi ſponſiones violaſſent, non tam ob *matrimonium initum*, qvàm *violatam ſponſionem* deponebantur, & inter digamos pœnitebant, ratis interim manentibus conjugiis. Quod ſi de ſolis diaconis intellectum inquias, nihil aliud hoc canone prohibetur, quam ut ne *poſt ſacros ordines* uxorem ducat presbyter. Certè ſi maxime hic canon velit, qvod Pontificii eum velle clamitant, obtinuiſſe tamen eum in eccleſia probari non poteſt, ſed potius neglectum atque auctoritate Nicæni concilii abrogatum fuiſſe: niſi cum junioribus malis dicere, *ſtatutum eſſe proviſionale*, locorum atq; temporum ratione factum, ne ſuo ſe cœ-

libatu ſuper conjugatos presbyteros Catholicos efferrent Marcionitæ, & gravius iis à perſecutoribus Tyrannis inpenderet periculum.

§. 12. Neocæſarienſi ſuccedit Nicænum Oecumenicum I, in quo *τοῖς μὲν ἄλλοις ἐδόκει νόμους ἐπεισάγειν, ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους, διακόνους τε καὶ ὑποδιακόνους μὴ συγκαθεύδειν ταῖς γαμεταῖς, ἃς πρὶν ἱερᾶσθαι ἠγάγοντο, alijs videbatur leges introducere, quibus juberentur Epiſcopi & presbyteri, diaconi & ſubdiaconi abſtinere commercio conjugali cum iis, quas ante conſecrationem duxerant, uxoribus.* At quid ad hæc Paphnutius Thebaidis in Ægypto epiſcopus? opponebat ſeſe maſculè, & qvidem, defenſo matrimonii honore, *τίμιον γάμον ἀποκαλῶν, σωφροσύνην ἢ τὴν πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας συνουσίαν, honorabile appellabat matrimonium, & ſobrietatem, vel caſtitatem cum propriis uxoribus cohabitationem,* ut habet Sozomenus, [x] vel, ut Socrates, [y] *σωφροσύνην ἐκάλει τῆς νομίμου γυναικὸς τὴν συνέλευσιν, caſtitatem appellabat cum uxore legitima congreſſum.* Poſteà *ἐβόα μακρὰ μὴ βαρὺν ζυγὸν ἐπιθεῖναι τοῖς ἱερωμένοις ἀνδράσι, inſtabat clamore magno, ne viris conſecratis hoc grave jugum imponeretur.* Prævalebat Paphnutii auctoritas, Epiſcopis omnibus in ejus judicio acquieſcentibus, ut præter Socratem & Sozomenum teſtantur Suidas [z] & Gratianus ipſe, [aa] qui Synodum Nicænam laudaſſe inqvit ſententiam Paphnutii, & conjugii uſum poſuiſſe in uniuscujusq; voluntate, non neceſſitate, comprobans idipſũ auctoritate Socratis. Ad ea, quæ contra auctoritatem Sozomeni & Socratis movent Sotus, [bb] Canus, [cc] Bellarminus, [dd] & alii, ſufficienter reſpondit Petrus Molinæus, [ee] quem vide.

x lib. I, c. 23
y lib. I, c. 11
z in voce *Paphnutius*
aa dist. XXXI cap. Nicæna
bb lib. VII de jur. & juſt q. 6. a. 2.
cc l. V LL. CC. c. ult.
dd lib. I de cler. c. 20.
ee de nov. Pap. p. 661

§. 13. Cœterùm ex hoc ipſo Concilio objicitur nobis canon III, qvi habet: *Ἀπηγόρευσεν καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος*

μήτε

μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον γυναῖκα ἔχειν. Πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγεν. *Vetuit omninò magna Synodus, ne liceat Epiſcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum qui ſunt in clero* συνείσακτον *habere mulierem, niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantum perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* Nimirum συνείσακτον γυναῖκα ad *uxorem* extendunt adverſarii, ſed ſine omni planè ratione. Quid per συνείσακτον γυναῖκα intelligatur, non eadem omnium mens eſt. Ruffinus Aquilejenſis vertit *extraneam mulierem*,[ff] nec aliter vetus interpres Concilii Nicæni, quem ſeqvitur Fulgentius Ferrandus,[gg] Synodus etiam Toletana IV, *Cum clericis*, decernit,[hh] *extraneæ fæminæ nullatenus habitent, id enim & conſtitutio antiqvorum Patrum decrevit.* Et impp. Honorius ac Theodoſius; [ii] *Quicunq; & cujuscunq; gradus ſacerdotio fulciuntur, vel clericatus honore cenſentur, extranearum ſibi mulierum interdicta conſortia cognoſcant.* Alii malunt *ſubintroductam* interpretari, ut Dionyſius Exiguus, [kk] quem ſequitur Gratianus, [ll] Nicolaus quoq; & Alexander P. R [mm] *Nullus miſſam audiat presbyteri, qvem ſcit concubinā habere aut introductam mulierem.* Hanc Nicænæ Synodi de extraneis ſ. introductis mulieribus definitionem Imperator Juſtinianus confirmavit.[nn] Freqvens quoq; συνεισάκτων mentio apud Scriptores eccleſiaſticos. Epiſtola ſynodica concilii Antiocheni adverſus Paulum Samoſatenum celebrati apud Evſebium; [oo] τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτοῦ γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων, οἷς καὶ τοῦτο καὶ τὰ ἄλλα ἁμαρτήματα ἀνίατα ὄντα συγκρύπτει. *Qvod autem de extraneis ejus mulieribus, ut Antiocheni nominant, & presbyterorum ac diaconorum,*

ff l. I H. E. c. 6.
gg c. CXXII
hh can. XLII
ii l. LX eod. de Ep. & cler
kk in cod. can. eccl. Rom.
ll can. interdixit diſt. XXXII
mm can. 5. & 6. ead. diſt.
nn Nov. CXXXVII c. 1.
oo l. VII, c. 24

norum, qvos ſecum habet, qvibus & hoc & alia deprehenſa peccata obtegit. Hieracitas eo nomine ſugillari qvod συνεισάκτους mulieres haberent, tradit Epiphanius, [pp] χλευάζονται δὲ δι᾽ ἃς κέκτηνται ἕκαστος συνεισάκτους γυναῖκας, δι᾽ ἃς εἰώθασι φιλοτιμεῖσθαι ἔχειν εἰς ὑπηρεσίαν. *Subſannantur propter eas, quas habent ſinguli, ſubintroductas mulieres, de qvibus gloriari ſolent ſe habere ipſas ad miniſterium.* Et de Origenianis loqvens, [qq] κατηγοροῦσι δὲ τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τὰς ἀγαπητὰς λεγομένας συνεισάκτους γυναῖκας κεκτημένων, ὡς καὶ αὐτῶν τοῦτο ἐπιτελούντων κρυφῇ διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων αἰδῶ, ἵνα μὲν τῇ πονηρίᾳ συνθάπτωνται, τῷ δὲ προσχήματι, τῶν ἀνθρώπων ἕνεκα τὸ ὄνομα σεμνύνωνται. *Accuſant eos, qui in eccleſia dilectas appellatas ſubintroductas mulieres habent, velut etiam ipſi hoc faciant occultè, propter hominum reverentiam, quò cum improbitate quidem conſepeliantur: prætextu autem hominum gratia nomen jactent.* Hæc ferè Juſtellus, qvi, *Qvænam* addit, [rr] *fuerint* συνείσακτοι *mulieres, non ſatis conſtat. Ruffinus Euſebii interpres vocabulum Græcum reliqvit. Suidas annotavit tantum, non explicavit. Erant autem neq; uxores, neq; concubinæ, ſed tertii cujusdam generis mulieres, quas ſecum clerici, nec ſobolis, nec libidinis gratia, ſed pietatis ſtudio, aut certè prætextu, fovebant, ut teſtatur Chryſoſtomus ſerm.* πρὸς τοὺς ἐχόντας συνεισάκτους, *cujus fragmentum citat Rhenanus ſcholio ad ſuperiorem Euſebii locum:* Εἰσὶν γάρ τινες, οἳ γάμου καὶ συνουσίας χωρὶς κόρας ἀπειρογάμους ἀγόμενοι καθίσουσιν οἴκοι διαπαντὸς, καὶ εἰς ἔσχατον γῆρας ἑαυτοῖς συγκατακλείουσιν, οὔτε ἐπὶ παιδοποιΐᾳ, οὐ γάρ φασιν αὐταῖς συγγίνεσθαι, οὔτε ἐξ ἀκολασίας, λέγουσι γὰρ αὐτὰς ἀκεραίους διατηρεῖν. *Sunt enim quidam qui puellas innuptas absq; nuptiis & concubitu ducentes domi perpetuò collocant, & ad ſupremam ſenectam usq; incluſas tenent, non procreandorum liberorum gratia, neq; enim, ajunt, ſe cum illis rem habere: neq; cauſa*

[pp] hær. LXVII.

[qq] hær. LXIII.

[rr] ad can. III con. Nic.

tenſa libidinis, ſiqvidem illas ſe, dicunt, inviolatas ſervare. Huc ſpectat quod Gregorius Nyſſenus lib. de Virg. c. 23. de iis tradit; οἱ μέχρι ὀνόματος τὴν ἀγαμίαν ἐπιτηδεύσαντες οὐδὲν διαφέρουσι τοῦ κοινοῦ βίου. Οὐ μόνον τῇ γαστρὶ τὰ πρὸς ἡδονὴν χαριζόμενοι, ἀλλὰ γυναιξὶ κατὰ τὸ φανερὸν συνοικοῦντες, καὶ ἀδελφότητα τὴν τοιαύτην συμβίωσιν ὀνομάζοντες. Ὡς δὴ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον ὑπόνοιαν ὀνόματι σεμνοτέρῳ περικαλύπτοντες. *Qui nominetenus cœlibatus ſtudioſi nihil à communi vita differunt. Qui non ſolum ventri voluptates indulgent, ſed palàm cum mulieribus convivunt, & eam conſvetudinem fraternitatem vocant, ſiniſtra ſuſpicione ſplendido hoc nomine obnubenda. Non eſt omittendum, quod olim ſummæ eruditionis Vir G. Budæus annotavit,* συνείσακτον *dici ſocium ſociamve cœlibatus, ſive virgo contubernalem habeat virum, ſive monachus fœminam: atq; hoc genus olim in uſu fuiſſe inter Chriſtianos, ſed improbatum propter ſuſpicionem ſtupri, de quo Gregorius Nazianzenus,*

Τοὺς δὲ συνεισάκτους ὡς δὴ φάσκουσιν ἅπαντας
Οὐκ οἶδ᾽ εἴτε γάμῳ δώσομεν εἴτ᾽ ἀγάμους
Θήσομεν, εἴτε μέσον τι φυλάξομεθα, οὐ γὰρ ἔγωγε
Κἂν μελέγητε κακῶς πρᾶγμα τόδ᾽ αἰνέσομαι.

Subintroductos igitur, ut ajunt, omnes
Neſcio, ſive nuptiis dabimus, ſive innuptos
Ponemus, ſive medium quid ſervabimus. Non ego,
Vel ſi mihi maledixeritis, rem laudavero.

Hactenus Juſtellus. Solebant autem, quò reſpicit Gregorius Nyſſenus, qvidam clerici has συνεισάκτους *Sorores* appellare, & ſub hoc pietatis nomine vitia ſua obtegere. Hinc Concilium Ancyranum, ss τὰς μὲν τοι συνερχομένας παρθένους τισὶν, ὡς ἀδελφὰς, ἐκωλύσαμεν, *Virgines autem, quæ tanquam Sorores cum qvibusdam habitant, probibemus.* Honorius quoq; & Theodoſius impp. tt ſtatuunt; *Eam,* ss can. XIX tt L. c.

qui probabilem ſeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio ſororiæ appellationis non decet. Idem velle cenſeo juſtinia-
uu Nov. VI c. 6. num, qvi, βουλόμεθα δὲ, inqvit, uu καὶ αὐτὰς τὰς ἐπὶ τὴν χειροτονίαν ἀγομένας διακόνους, εἴτε ἐκ χηρείας εἴτε ἐκ παρθενίας, μὴ τινὰς συνόντας ἔχειν, ἐν τάξει δῆθεν ἀδελφῶν, ἢ συγγενῶν, ἢ τῶν καλουμένων ἀγαπητῶν (τοῖς γὰρ τοιούτοις ὀνόμασι χρώμεναι, πάσης πονηρᾶς ὑποψίας τὸν ἑαυτῶν πληροῦσι βίον,) ἀλλ' ἢ καθ' ἑαυτὰς οἰκεῖν, ἢ γονεῦσι μόνοις, καὶ παισὶν, ἢ τοῖς ἀληθείοις ἀδελφοῖς ἢ θείοις συνεῖναι. *Volumus autem & ipſas, quæ ad ordinationem perducuntur, diaconiſſas, ſive ex viduitate, ſive ex virginitate, non cum aliqvo cohærentes aut fratrum, aut cognatorum, aut eorum quos appellant dilectos (talibus enim nominibus utentes maligna ſuſpicione ſuam replent vitam) ſed aut ſolæ habitent, aut cum parentibus ſolis & filiis, aut verè fratribus.* Hujusmodi erant συνείσακτοι & ἀγαπηταὶ, hoc eſt, virgines, quæ,
ww Ep. ad Oceanum. ut ait Hieronymus, ww *à charitate nomen trahentes, quaſi ſpirituali amore conjunctæ*, ſic dicebantur ab illis, qvibus cohabitabant eccleſiaſticis, qvorum ſine nuptiis ſub alio nomine uxores erant, concubinæ, propudia, meretrices. Ad *legitimas* ergò *uxores* Concilii Nicæni canon extendi neqvit, qvippe qui omnem in συνουσίᾳ cum maritis effugiunt ſuſpicionem. Imò expreſsè permittitur concilii hujus canone IV, ex iis qvi ex lingva Arabica in latinum ſermonem converſi ſunt, ut retineat ſecum uxorem ſuam clericus; qvicum conſentit Synodus Arelatenſis II, ſta-
xx can. II. tuens; xx *Si quis clericus à gradu diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter aviam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel converſam ſecum uxorem habere præſumſerit, à communicatione alienus habeatur. Par qvoq; mulierem, ſi ſe ſeparare noluerit, pœna percellat.*

§. 14. Habitum eſt eadem ferè ætate, fortaſſis etiam

iam antè Nicænum, Concilium Eliberinum in Hiſpania, cujus canone XXXIII interdictum putant clericorum conjugium. *Placuit,* habet canon, *in totum prohibere Epiſcopis, presbyteris, diaconibus ac ſubdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere à conjugibus ſuis & non generare filios. Qvod quicunq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Sed contrarium potius ex ipſa Textus litera apparet. Nam qvi *prohibet* te *abſtinere* à conjuge tua, is certè nec vult, nec jubet ut abſtineas, ſed potius, ut ei, ceu maritum decet, cohabites. Neq; probabile eſt ſub *Oſio,* haud infimi numinis epiſcopo, qui & huic interfuit Synodo, & Nicænæ præfuit, intrà paucarum hebdomadum ſpatium contraria emanaſſe decreta. Quid, qvod ab ipſis Adverſariis, Baronio,[yy] Cano,[zz] Bellarmino,[aaa] Banneſio,[bbb] & aliis concilii hujus autoritas haud multũ æſtimatur.

§. 15. Eliberino ſuccedit Gangrenſe, cujus canones in codicem canonum univerſæ eccleſiæ recepti & à Patribus conciliiConſtantinopolitani approbati ſunt. Id verò qvàm ratum habeat conjugium clericorum, decreto hocce, ſub anathematis fulmine lato nos edocet[ccc] Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι λειτουργήσαντος αὐτοῦ προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἴσω, *Si quis diſcernit presbyterum conjugatum, quaſi non oporteat eo miniſtrante ejus oblationi communicare, anathema ſit.* Vertendo hunc canonem pervertit Bellarminus. Sic enim legit, *Qui uxorem habuit,* fortaſſis inductus auctoritate Dionyſii Exigui, qvi parili modo legit. At longe rectius ex Græcis Socrates & Balſamon, ex Latinis Fulgentius Ferrandus & Iſidorus Mercator. Socrates[ddd] de Evſthatio in ipſa ſynodo Gangrenſi damnato loqvens, Ἐν οἴκοις τι, inqvit, γεγαμηκότων εὐχὰς ἐκώλυε γίνεσθαι, καὶ πρεσβυ-

πέρου

[yy] Tom. I. ad ann. LVII.
[zz] l. V LL. CC. c. 14.
[aaa] l. II de imag. c. 5.
[bbb] II 2. qv. I
[ccc] can. IV.
[ddd] l. II H. E. c. 35.

τέρου γυναῖκα ἔχοντος, ἣν νόμῳ λαϊκὸς ὢν ἠγάγετο, τὴν εὐλογίαν καὶ τὴν κοινωνίαν, ὡς μῦσος ἐκκλίνειν ἐκέλευε. *In ædibus conjugatorum precationes fieri vetuit & benedictionem & communionem presbyteri habentis uxorem, quam lego, cum eſſet laicus,* rrr ad h. can. *duxiſſet, tanquam ſcelus declinandam præcepit.* Balſamo ; sss ὁ παρὼν κανὼν ἀναθεματίζει τοὺς μὴ ἀδιστάκτως μεταλαμβάνοντας ἀπὸ ἱερέων ἐχόντων γυναῖκας, *Canon eos anathematizat, qvi non indiſtinctè communicant ſacris ſacerdotum, qvi habent uxores.* FulgentiusFerrandusCarthaginenſis eccleſiæ diaconus in Breviatione canonum ex cod. MS. Corbejenſi à Franc. Chifletio nuper editus ; ttt *Ut de oblatione presbyteri conjugati nullus audeat non communicare.* Vetus verſio, qvâ uſus eſt in ſua collectione canonum Iſidorus Mercator, ſic habet ; *De oblatione presbyteri conjugati, Si qvis diſcernit presbyterum conjugatum, tanqvam occaſione nuptiarum, qvod offerre non debeat, & ab ejus oblatione, ideò anathema ſit.* At *conjugatus* dicitur, qvi actu in conjugio *vivit*, qvi *vixit*, *viduus*. Vulgatus τοῖς γεγαμηκόσι I Cor. VII, 10 vertit, & rectè, *iis qvi matrimonio juncti ſunt.* Nec aliter intellexêre canonem hunc Gratianus, uuu Andradius, xxx Alphonſus de Caſtro, yyy & plurimi alii.

ttt c. LXXXIX

uuu diſt. XXVIII cap. ſi quis.

xxx l. X. orth. expl.

yyy l. XIII adv. hæreſ.

§. 16. Circà annum Chriſti CCCXXVII Synodus ſecunda apud Arelatum celebrata eſt, cujus canonem II Regi Britanniæ, ut probaret cœlibatum clericorum præcepto eccleſiæ introductum, objecit olim Card. Peronius. Ita autem habet canon; *Aſſumi aliqvem ad ſacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio.* Reſpondet Regis nomine Perronio Petrus Molinæus ; zzz Es wird zwar im *decreto Romano diſt.* 28 im *canone Aſſumi* ein *Canon* auß dem dritten *Concilio Arelatenſi* angezogen / welcher ſaget / man ſol kei-nen

zzz de nov. Pap. p. 666

nen verehlichten Prieſter annehmen/es ſey dann daß er ſeine Bekehrung angelobe. Aber in den *Tomis* die zu Cöllen im Jahr 1567 gedruckt ſeyn/ iſt daſſelbe im beſagten dritten *Concilio Arelatenſi* nicht zu finden. Und in den ältern *impreſſionibus* vom Jahr 1538. zu Cöllen/ wie auch vom Jahr 1551 imgleichen in der *Edition* des *Bartolomæi Caranzæ* ſteht gerad das Wiederſpiel. Dann allda redet gemelter *Canon* alſo: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in conjugii vinculo conſtitutum, non oportet, niſi fuerit promiſſa converſio.* Auß welcher Mißhelligkeit zu ſehen/ wie wenig ſich auff die Lateiniſche *Canones* der *Conciliorum*, ſo nicht in Griechiſcher Sprache gefunden werden/ zu verlaſſen ſey. Erratum in tanto eqvidem Viro haud leve, humanitati tamen condonandum. Citat Gratianus diſt. allegata canonem ex Concilio Arelatenſi, non III, ſed IIdo, qui ipſe idem canon exſtat in Tomo Conciliorum primo, opera Laurentii Surii edito, & Coloniæ Agrippinæ apud Gervvinum Calenium & hæredes Joh. Quentelii anno Dom. MDLXVII typis expreſſo: legitur qvoq; in Caranza his verbis: [m] *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe, in vinculo conjugii conſtitum, niſi fuerit promiſſa converſio.* Sed quicquid ſit de ſynodo, certum eſt, parum fidei tribui poſſe canonibus ex manu adverſariorum non ſine corruptionis ſuſpicione ad nos delatis, imprimis ubi canonibus illis non adiuncta ſunt Conciliorum acta, qvæ in Tomo Conciliorum primo rariſſimè reperias. Credibile certè non eſt, particularia Concilia eodem ferè tempore cum univerſalibus habita id ſibi ſumſiſſe auctoritatis, ut ea qvæ in Oecumenicis Conciliis (v. g. Nicæna,) permiſſa & à tota eccleſia approbata eſſent, pro lubitu annullarent &

[m] p. 98

in contrariam irent ſententiam. Arelatenſis Synodus provincialis fuit, nec tantæ auctoritatis,ut eam in ſe derivaret invidiam, imò vel ideo nobis ſuſpecta, quod *Arianorum* meminit, mmm qui tamen poſteà extiterunt,& *Synodi Vaſenſis*, quæ diu poſt habita fuit Leonis I temporibus. Prætereà impoſuit eccleſiæ Gratianus in citatione hujus canonis, eamq; impoſturam lubens admiſit Bellarminus. Colonienſes A. D. MDXXXVIII canonem ſic legunt; *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo conjugii conſtitutum, niſi fuerit promiſſa converſio, non oportet.* Hæc eſt vera canonis hujus lectio, & ſanctus eſt hic canon: Sed id Pontificiis cum diſpliceret, ut illum in partes ſuas obtorto collo traherent, priorem particulam negativam curarunt expungendam. Fortasſis etiam non *promiſſa*, ſed *præmiſſa* habuit canon, ut intelligas Epiſcopum non debuiſſe in Epiſcopatu cohabitare uxori inconverſæ.

mmm can. XVII

§. 17. Vixit eodem anno Evſebius Pamphili, Epiſcopus Cæſarienſis, qui de ſui temporis viris eccleſiaſticis, Μάλιστα δ᾽, inquit, nnn τούτοις ἀναγκαίως τὰ νῦν διὰ τὴν περὶ τὰ κρείττω σχολὴν ἡ τῶν γάμων ἀναχώρησις σπουδάζεται, ἅτε περὶ τὴν ἔνθεον καὶ ἄσαρκον παιδοποιΐαν ἀσχολουμένοις. *Maximè illi, quia neceſſariò circà meliora occupati ſunt, & generationi filiorum addicti divinæ, non carnali, ſeparari à nuptiis vel ſine conjugio eſſe ſtudent.* Loquitur non de *diſſolutione* matrimonii jam exiſti, ut exiſtimat Perronius, ſed *abſtinentia* ineundi. Ἀναχώρησις enim non *ſolutionem* notat, ſed *ſeparationem*, unde *anachoretæ* dicti, qui ſeorſim extra convictum cum aliis vivebant. Vixerunt ſine conjugibus clerici *νῦν ad tempus*, & quidem non *ex præcepto*, aut annexo ordini voto, ſed *libera voluntate*, ut curis

nnn l. I dem. Ev. c. 7.

atq;

atq; laboribus eccleſiaſticis eò liberius vacare poſſent: quod etiam νῦν & hoc noſtro tempore in iis, qui ſciunt ſe continere poſſe, non tantum non culpatur, ſed & qvam maximè laudatur. Idem Evſebius alibi vult, ooo ut ii, qui ſacra faciunt, & in miniſterio Dei occupantur, caſtam cum uxore colant continentiam, & miniſterii tempore à commercio abſtineant conjugali, quod nec à nobis improbatur. ooo l. c. c. 9

§. 18. Libertas hæc obtinuit adhuc A. Dom. CCCXL, quo florere cœpit Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, uti ipſe his nos docet verbis: ppp *πολλοὶ δὲ τῶν ἐπισκόπων οὐδὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασιν. Ὥσπερ καὶ ἐπισκόπους πατέρας τέκνων καὶ μοναχοὺς ἐξ ὁλοκλήρου γένους μὴ τυγχάνοντας. ἔξεστι γὰρ καὶ οὕτως, καὶ ἐκείνως οὐκ ἐκώλυται*, h. e. interprete Petro Nannio, *Multi quoq; ex epiſcopis matrimonia non inierunt, monachi contra parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim epiſcopos filiorum patres, & monachos generis poteſtatem non quæſiviſſe animadvertes. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibetur.* ppp Ep. ad Dracontium

§. 19. Circà idem fere tempus, &, ut putatur, A. Chr. CCCXLI Antiochiæ Epiſcoporum ſynodus facta eſt, qui canone XXV diſertè nominant filios Epiſcoporum. *Ἐπίσκοπον ἔχειν τὴν τῆς ἐκκλησίας πραγμάτων ἐξουσίαν. Εἰ δὲ μὴ τούτοις ἀρκοῖτο, μεταβάλλοι δὲ τὰ πράγματα εἰς οἰκιακὰς αὐτοῦ χρείας, καὶ τοὺς πόρους τῆς ἐκκλησίας, ἢ τοὺς τῶν ἀγρῶν καρποὺς, μὴ μετὰ γνώμης τῶν πρεσβυτέρων ἢ τῶν διακόνων χειρίζοι, ἀλλ' οἰκείοις αὐτοῦ καὶ συγγενέσιν καὶ ἀδελφοῖς ἢ υἱοῖς παρέχοιτο τὴν ἐξουσίαν, εἰς τὸ διὰ τῶν τοιούτων λεληθότως βλάπτεσθαι τοὺς λόγους τῆς ἐκκλησίας, τοῦτον εὐθύνας παρέχειν τῇ συνόδῳ τῆς ἐπαρχίας. Epiſcopus eccleſiaſticarum rerum habeat poteſtatem. Quod ſi contentus iſtis minimè fuerit, & in uſus ſuos res eccleſiæ convertat, & illius*

reditus, vel agrorum fructus, ſine Presbyterorum vel diaconorum ſententia, pertractet, ſed domeſticis & cognatis, vel fratribus, vel filiis poteſtatem concedat; ut hoc modo rationes eccleſiæ tacitè detrimentum capiant, ipſe Synodo provinciæ adminiſtrationis rationes reddat.

§. 20. Circâ A. Dom. CCCLXX Epiphanius Salaminæ Cypri epiſcopus floruit, qvem cœlibatui clericorum impensè ſavere Pontificii clamitant. Et certè negari non poteſt, Epiphanium qqq ſcribere nonnulla, quæ eam in rem non parum facere videntur: attamen non loqvitur de eo, quod *ubiq;* obtinebat, (expreſſè enim addit, ἐν ποὶ τόποις εἶς παιδοποιεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους,) ſed eo, quod *utplurimum* in ſua regione eveniebat, non *ex mandato divino*, ſed *inſtituto humanitus ſuſcepto* ac per ſe libero. Nec *veterum canonum* ullam injecit mentionem, uti falſò gloriantur adverſarii, ſed tantummodo ait, παιδοποιΐαν clericorum non permitti, ubi canones eccleſiaſtici ſint ἀκριβεῖς & *in rigore obſerventur*, qvaſi vero ejusmodi lex non potius ſit ὑπερβολὴ τῆς ἀκριβείας, uti in Synodo Nicæna appellavit Paphnutius, teſte Gelaſio Cyzizeno. rrr Id quoq; notandum eſt, fateri Epiphanium, cooptatos eſſe in clerum ſuo tempore conjugatos, τοῦ πλήθους ἕνεκεν μὴ εὑρισκομένης ὑπηρεσίας, *ob multitudinem officiorum eccleſiaſticorum, & paucitatem cœlibum.*

qqq hær. LIX

rrr cap. XXXV.

§. 21. Circà annum Ch. CCCLXXV Papalem thronum Romæ conſcendit Syricius, à quo tùm primum communi decreto (ſi non eſt fictitium decretum iſtud,) in occidentalibus eccleſiis interdictum dicitur conjugium clericorum, ut impurum. sss Certè à Syricio primum in Eccleſia Dei communiter prohibitum fuiſſe, apertè indicat Gloſſa, ttt & fatentur Jacobus Chlichtovæus, uuu Claudius

sss diſt. LXXXII

ttt diſt. LXXXIV c. 3

uuu Lib. de cont. c. VI

Claudius Eſpencæus, [www] & Georgius Caſſander. [xxx] Continentiæ ergò votum neceſſarium & perpetuum videtur in occidentali eccleſia ſtatutum primò & annexum ordinibus circiter hæc tempora. Ante, ſiquidem receptum fuit, privata quorundam devotione non publico eccleſiæ judicio id factum: quamvis, ſi verba Epiſtolæ, quam ad Africanos ſcripſit Syricius, penſitemus exactius, non tam præcepiſſe continentiam, quàm commendaſſe & ſvaſiſſe videatur. *Svademus*, inquit, *ut Sacerdotes & Levitæ cum uxoribus ſuis non coëant.* Et paulò poſt; *Hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium.* In eo tamen minimè excuſandus, quod legitimam ϲυνάφειαν conjugalem *opprobrium* vocitet atq; impuritatem.

www l. I de Cont. c. 9.
xxx conſult. art. XXIII

§. 22. Sed nec in occidentali eccleſia ſtatutum hoc, quod quia humanum eſt, ab acceptatione vim ſuam acacquirat neceſſe eſt, univerſaliter fuit acceptum, imo verò ei ſemper ab aliquibus epiſcopis verbo & facto fuit contradictum, ut ex adverſariis ipſe Spalatinus Archiepiſcopus demonſtrat. [yyy]

yyy l. II de R: E. c. 10.

§. 23. Ambroſii certè, Mediolanenſis Epiſcopi, qvem anno Dom. CCCLXXX adhuc vixiſſe vult Bellarminus, [zzz] cœlibatum ſuo tempore valdè miratur Auguſtinus, [aaaa] quamvis ipſum Ambroſium, Origenis æmulum, nonnullibi ſvaſiſſe cœlibatum non negemus, (*Svaſiſſe*, inqvam, nam quid *deceat*, inculcat, non qvid *oporteat*.) ex qvo fieri potuit, ut obſervaretur cœlibatus in eccleſiis ejus inſpectioni commiſſis eo tempore, *voluntariè* tamen, non per auctoritatem legis *neceſſariè*. At quando ad Vercellenſem ſcribit eccleſiam; [bbbb] *Apoſtolus unius uxoris virum precepit eſſe, non qvo exſortem excludat conjugii, nam hoc ſuprà legem præcepti eſt, ſed ut conjugali caſtimonia ſervet ob-*

zzz de S. E ad ann. 380
aaaa l. VI conf. 3.
bbbb Ep. LXXXII

vet ablutionis ſuæ gratiam: neq; iterum; ut filios in ſacerdotio creare Apoſtolica invitetur auctoritate, habentem enim, dixit, filios, non facientem: nihil aliud vult, quam quod nec cœlibatus, nec conjugii neceſſitas præcepto Apoſtolico clericis ſit impoſita. Eadem eſt noſtra ſententia, qui haud ignoramus, Paulũ non præcipere ut habeat liberos epiſcopus aut gignat, ſed ut quos habet aut gignit ſubditos habeat cum omni honeſtate. Quamvis nec id diſſimulemus, quod vix credamus de hac epiſtola conſcribenda unquam cogitaſſe Ambroſium. Ipſe Poſſevinus Jeſuita [cccc] docet, eam Ambroſii eſſe non poſſe, quæ *Vercelliarum* meminerit, quarum fundatio poſt Ambroſii mortem in annũ CCCCXX incidit. Idem de commentariis in Epiſtolas Paulinas ſi dixeris, vix erraveris. *Commentarii hi*, ipſe inquit Bellarminus, [dddd] *non ſunt Ambroſii*, conf. Rivetum [eeee] & Cocum. [ffff]

[cccc] Tom. V Appar. ad voc. AMBROSIUS

[dddd] l. II de Euch. c. 4.

[eeee] lib. III Cr. Sac. c. 18.

[ffff] cenſ. p. 133

§. 24. Ex Latinis proximè hæc tempora attingit Hieronymus, qui, *Quaſi*, inqvit, [gggg] *non hodieque plurimi ſacerdotes habeant matrimonia, & Apoſtolus Epiſcopum deſcribat unius uxoris virum, habentem filios cum omni caſtitate*. Videtur qvidem Hieronymus hinc inde clericorum non tantum, ſed omni omninò conjugio ſatis infenſus, quod ipſi tum quam maximè vitio vertebatur, uti non negat in Apologia ad Pammachium hac de re ſcripta. Nimirum, (cur enim diſſimulemus?) injurius aliquantum in clericorum conjugium fuit Hieronymus, idq; quia & *Theſi ſuæ* & *præſenti* inſerviebat *conſuetudini*: *Theſi* quidem *ſuæ*, cum adverſus Jovinianum, qui caſtam continentiam nullo loco habebat, diſputabat; *conſuetudini* verò, quia eo tempore poſt Syricii ſtatutum in eccleſia occidentali videtur invaluiſſe, ut epiſcopi phraſi eccleſiaſtica ita dicti non aſſumerentur niſi cœlibes; nec id ſecum

[gggg] lib. I cont. Jovin.

quid

quidquam incommodi trahebat, cum & epiſcopi præ
ceteris clericis pauci eſſent, & plerumq; nonniſi pro-
vectiore ætate epiſcopatui admoverentur. Satis cæte-
roquin benignè judicat Hieronymus de conjugio Carte-
rii epiſcopi Hiſpani ſcribens ad Oceanum; *Ille in uxore
optavit liberos, tu in meretrice ſobolem perdidiſti; illum na-
turæ & benedictioni Dei ſervientem, dicenti, creſcite &c. cubi-
culorum ſecreta texerunt, te ſudantem ad coitum publica fa-
cies exſecrata eſt; ille, quod licebat, verecundo pudore celavit,
tu, quod non licebat, oculis omnium ingeſſiſti. Illi ſcriptum
eſt, Honorabiles nuptiæ* &c.

§. 25. Græci interim conjugatos ad epiſcopatum
etiam admittebant. Teſtis eſt Chryſoſtomus à nobis
ſuprà citatus, qui ſuo tempore tam honoratum fuiſſe
ſcribit matrimonium ut cum eo etiam in ſanctam ſedem
quis adſcendere potuerit. Teſtis eſt Syneſius, Ptole- SEC. V
maidis Epiſcopus, *Vir*, judice Bellarmino, *admirandæ ſan-
ctitatis*, qui epiſcopatum nonniſi hac lege admittebat,
ut uxorem retineret ſuam & cum ea procrearet liberos.
γὼ, inquit, bbbb ταύτης οὔτε ἀλλοτριώσομαι καθάπαξ, οὔτε ὡς μοι- bbbb Epiſt. CV
ὸς αὐτῇ λάθρα συνέσομαι, ἀλλὰ βουλήσομαί τε καὶ εὔξομαι συχ-
νά μοι πάνυ καὶ χρηστὰ γενέσθαι παιδία. *Neq; enim deſerturus
unquam ſum, neq; cum ea, ut mœchus, clam congreſſurus, qvin
optaturus, ut multi probiq; mihi naſcantur liberi.*

§. 26. Coætaneus Syneſii in occidente fuit Augu-
ſtinus, cujus tempore obſervatam fuiſſe in nonnullis ec-
cleſiis à clericis continentiam non inficiamur, at obſer-
vatio illa non *neceſſitatis* erat, ſed *voluntatis*, nec *inſtituti
univerſalis*, ſed *particularis exempli*. Quamvis haud diſſi-
mulem, Auguſtinum, & non Auguſtinum tantum, ſed et-
iam Origenem, Cyprianum, Athanaſium, Ambroſium,
Hie-

Hieronymum & alios *Virginitatem* conjugio prætuliſſe, & in ejus laudibus ſæpiusculè ὑπερβολικῶς locutos, *tum* ut extremum, vitio communi maximè contrarium, eligerent; (nondum enim erat depoſita univerſaliter apud populum polygamia ethnica,) *tum* ut ſuſpicionem concubitus promiſcui vitarent; *tum* ut Jovinianum cum aſſeclis ſuis confunderent; *tum* quia cœlibes minori cum moleſtia & officia pietatis exercebant, & perſecutionem ferebant. Sciendum tamen hic eſt, quod allegati Patres non imponant cœlibatum, ut *neceſſarium*, ſed ut rem decentem *commodamq́* ſvadeant.

§. 27. Occupaverat Romæ paulò ante Cathedram Papalem Innocentius, qvi Syricii adhortationes pro præceptis habens, decretum ejus renovavit, iis tamen, ad quos non pervenerat Epiſtola Syricii, conceſſa venia.[iiii] At necdum ab omnibus in occidente eccleſiis id acceptatum aut in praxin perductum vel ſolus perſvadet Auguſtinus, qvi de Apoſtolicis loqvens, *In ſuam*, inqvit, [kkkk] *communionem non reciperent utentes conjugiis, & res proprias poſſidentes, quales habet catholica eccleſia, monachos & clericos quamplurimos.*

iiii dist. LXXXII c. propoſuiſti

kkkk lib. de hæreſ.

§. 28. Idem conſtat ex Synodo Toletana I juxta Marianum A. Chr. CCCCXX habita, qvæ, præterqvam quod Patronus Toleti epiſcopus, qvi ei præfuit, *ut omnia in Concilio Niceno conſtituta perpetuò ſervarentur*, præfatus eſt, *uxorum*, quas habuerunt clerici, expreſſè meminit. [llll] *Placuit, ut ſi quorumcunq́ clericorum uxores peccaverint, (ne forte licentiam peccandi plus habeant,) accipiant mariti earum hanc poteſtatem (præter necem) cuſtodiendi ac ligandi in domo ſua ad jejunia ſolitaria, non mortifera eos cogentes. Ita ut invicem ſibi clerici pauperes auxilium ferant, ſi ſervitia forte non*

llll can. VII

*e non habeant. Cum uxoribus autem ipſis, quæ peccave-
int, nec cibos ſumant, niſi forte ad timorem Dei, actâ pæ-
itentia, revertantur.*

§. 29. Anno Chr. CCCCXXV Carthagine in Afri-
a coacta eſt ſynodus *ſecunda* dicta, qvæ non uno nomi-
ne in cœlibatum clericorum propendere videtur ad-
verſariis, cum tamen in canone I diſertè velit Aureli-
us Epiſcopus, ὥστε τὰ ἐν τῇ Νικαέων συνόδῳ ὁρισθέντα παντὶ τρό-
πῳ παραφυλαχθήσεσθαι, *ut quæ in Niceno concilio ſtatuta ſunt,
omni modo obſerventur.* Sed penſitemus verba ipſa, in
quibus reperiſſe ſe exiſtimant de quo glorientur cœli-
batus patroni. Canon III ita habet; Αὐρήλιος Ἐπίσκοπος
εἶπεν. Ἐν τῇ προλαβούσῃ συνόδῳ ὡς περὶ ῥυθμοῦ ἐγκρατείας καὶ ἁγνείας
ἐζητεῖτο, ἤρεσεν ὥστε τοὺς τρεῖς βαθμοὺς τούτους τοὺς συνδέσμῳ τινὶ τῆς ἁ-
γνείας διὰ τῆς καθιερωσύνης συμπεπλεγμένους (φημὶ δὴ ἐπισκόπους,
πρεσβυτέρους καὶ διακόνους) ὡς πρέπει ὁσίοις ἐπισκόποις καὶ ἱερεῦσι Θεοῦ καὶ
λευίταις καὶ ὑπουργοῦσι θείοις καθιερώμασιν, ἐγκρατεῖς εἶναι ἐν πᾶσιν,
ὅπως δυνηθῶσιν ὃ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἁπλῶς αἰτοῦσιν, ἐπιτυχεῖν. Ἵνα καὶ τὸ
διὰ τῶν Ἀποστόλων παραδοθὲν, καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς ἀρχαιότητος κρα-
τηθὲν, καὶ ἡμεῖς ὁμοίως φυλάξωμεν. *Aurelius epiſcopus dixit.
Cum præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderami-
ne tractaretur, gradus iſti tres, qui conſtrictione quadam ca-
ſtitatis per conſecrationes adnexi ſunt (Epiſcopos, inquam, pres-
byteros & diaconos) ita complacuit, ut condecet ſacros antiſti-
tes, ac Dei ſacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramen-
tis divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quò poſſint
ſimpliciter, quod à Domino poſtulant, impetrare: ut quod Apo-
ſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoq; cuſtodia-
mus.* De *abſtinentia ab uxoribus* non eſſe ſermonem Au-
relio, his evincimus argumentis: *Abſtinentia hic intelli-
gitur ea, qvâ quis eſt* ἐγκρατὴς ἐν πᾶσιν. *Abſtinentia à mu-*

D *lieribus*

lieribus non eſt ea &c. *E.* &c. non enim, qui abdicat commercium conjugale protenus continens eſt in omnibus. *Abſtinentia hic intelligitur ea, quam & docuerunt Apoſtoli, & ex lege Apoſtolica ſervavit antiqvitas.* At *abſtinentia ab uxoribus non eſt* &c. *E.* &c. De *continentia ab illicito coitu & prohibitis voluptatibus* ſermo eſt, quæ quammaximè eum decet qui myſteria divina diſpenſat aut ſacra tractat alia. Si tamen de *abſtinentia conjugali* omninò intelligere velis, ſcito, præcepiſſe Apoſtolum, ut à *συνουσίᾳ* tori abſtinerent conjuges *ἐκ συμφώνου πρὸς καιρὸν*, quando vacandum eſt jejunio & precibus I Cor. VII, 5. De hac continentia loquitur etiam Concilii Carthaginenſis, uti vulgo appellatur, V canon III & Africani canon LXXI quibus jubentur clerici *τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι* & *ἀπέχεσθαι γαμετῶν ἰδίων κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους*, h. e. ut exponit Balſamon, *κατὰ τὰς ἐφημερίας*, *per vices*, quibus terminis ſeu temporibus eos ſacris operari oportebat. Nam per vices & ſuo ordine ſinguli occupabantur ſacris apud eccleſiam obeundis. Quid ad hæc Bellarminus? *Probiberi in hoc Concilio* (Carthag. V.) inqvit, *omnem uſum uxorum ſacris hominibus, patet ex Auguſtino l. 2 de adult. conj. c. 20. qui Auguſtinus illi Concilio interfuit.* At minimè patet. Ita enim Auguſtinus; *Clerici plerumq; ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamq; ſuſceptam usq; ad debitum finem, Domino adjuvante, perducunt.* Quod *plerumq;* fit, nec ſemper fit, nec ab omnibus, nec decreti ullius neceſſitate, ſed voluntate libera. Ex præcepto nonniſi circà tempus ſacri miniſterii ſumendæq; Eucharistiæ continentiam obſervabant veteres, & Græciæ quidem Sacerdotes omninò ab uſu conjugii abſtinebant *pro tempore vicis* ſuæ. Qvò reſpiciunt ex Patribus illi, qui in clericis

ricis requirunt caſtitatem & continentiam, non *perpe-* mmmm
tuam intelligentes, ſed *pro tempore*. Vide Origenem,mmmm Hom. XVII
Cyrillum Hieroſolymitanum,nnnn Gregorium Nyſſenum, in Lucam. nnnn Cat.
oooo Joh. Chryſoſtomum,pppp Mirum verò, quod conti- XII
nentiam conjugio opponant Pontificii, quaſi inter con- oooo de Virgin. cap. ult.
jugatos nullus reperiatur, cui ἐγκρατείας laus jure meri- pppp Hom.
toq; tribui poſſit. Rectius Epiphanius,qqqq Ἐνὼχ οὐκ II de pat.
ἦν παρθένος, ἀλλ' ἐγκρατὴς, *Enoch non fuit Virgo, ſed conti-* Job.
nens. Salvianus; rrrr *Temperant à concubitu* (religioſi) *&* qqqq in Ancorato
non temperant à rapina. Quid agis ſtulta perſvaſio? peccata rrrr l. V. de
interdixit Deus, non matrimonia. Prov.

§. 30. Sed redeamus ad Synodum Carthaginenſem II. Annitebatur quidem Fauſtinus Piceni in Provincia Potentina Epiſcopus, ut Papæ Romani legatus, ſummis viribus, ut leges de perpetua abſtinentia à Syricio promulgatas eccleſiis Africanis obtruderet. Hinc, Ἀρέσ- ssss c. IV
κει, inquiebat, ssss ἵνα ἐπίσκοπος καὶ πρεσβύτερος καὶ διάκονος καὶ πάντες οἱ τὰ ἱερὰ ψηλαφῶντες, τῆς σωφροσύνης φύλακες γυναικῶν ἀπέχωνται, *Placet, ut epiſcopus, presbyter & diaconus, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes ab uxoribus ſe abſtineant.* Sed niſu fruſtraneo. Repetebant enim epiſcopi ad unum omnes prioris Capituli placitum generale, omiſſâ ſpeciali ad uxores reſtrictione, &, Ἀρέσκει, reſpondebant, ὥστε πάντας σωφροσύνην τηρεῖν τοὺς τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντας, ἤτοι δουλεύοντας, *Placet, ut omnes pudicitiam cuſtodiant, qui altari inſerviunt.* At ſicuti pudicitia etiam extra matrimonium amitti, ita quoq; in matrimonio conſervari poteſt.

§. 31. Novimus, quod in Pontificum Decretalibus tttt dist.
ſcriptum ſit,tttt eos, *qui conjugali conſortio utuntur, immun-* XXVII, c. 1.
dos eſſe, libidinum ſectatores, ob immunditiam ſuam indi- LXXXII, c. 2.

3. Syric. Ep. I, c. 7. Innoc. Ep. III & decret. Gregor. l. III, tit. 3. c. 3.

gnos, qui Sacramenta Eccleſiaſtica tractent, nec Deo placere poſſe, quia *in carne* ſint. Novimus, quod Synodus Tridentina ᵘᵘᵘᵘ *caſtitati matrimonium* opponat. Novimus, qvod Bellarminus neget, ʷʷʷʷ non ſolum conjugium ſacerdotum (qvod *ſacrilegium* eſſe ait, non *conjugium*,) ſed etiam ſanctorum qvorumvis matrimonium, *ſine pollutione quadam & turpitudine exerceri.* Sed quid ad hæc Spiritus S.? Nonne is diſertè affirmat Hebr. XIII, 4 ipſam κοίτην, i. e. *thorum* & *concubitum conjugalem* eſſe ἀμίαντον, ſeu *impollutum?* Impollutum enim eſſe per ſe neceſſe eſt, qvod DEus non modò ordinavit ut remedium ſanctum adverſus immunditièm carnis & medium ſanctum propagandæ eccleſiæ, ac cum eccleſia gloriæ ſuæ, ſed etiam præcepit continentiæ donum non habentibus, quod pauci habent Matth. XIX, 11 I Cor. VII, 2. 3. 7. I Tim. II, 15 Conjugatos impudicis accenſere ipſa Dæmoniorum eſt doctrina, uti jam olim docuit Ignatius, ˣˣˣˣ *Si quis, inqviens, hæc omnia confiteatur*, quæ ſcil. de Deo & Chriſto θεανθρώπῳ credenda ſunt, φθορὰν ἢ καὶ μολυσμὸν καλῇ τὴν νόμιμον μίξιν, καὶ τὴν τῶν παίδων γένεσιν, ὁ τοιοῦτος ἔνοικον ἔχει τὸν δράκοντα τὸν ἀποστάτην *corruptionem autem & pollutionem vocaverit legitimam commixtionem & liberorum procreationem, talis apoſtatam illum draconem in ſe inhabitantem habet.* Ipſe Auguſtinus, virginitatis alioqvin Patronus maximus, caſtitatem aſſeruit conjugalem adverſus criminatores nuptiarum ſcripturæ S. veritate muniri. ʸʸʸʸ Quam caſta verò in cœlibatu ſuo eccleſia Romana, in qua non uri modò clericum, ſed ſcortari etiam & nefandis ſe libidinibus conſpurcare levius multò eſt ac tolerabilius quam uxorem ducere; quanquam negare non poſſint, matrimonium, ſi qvâ, lege tantum humana, formi-

uuuu SESS. VIII c. 9.

wwww l. I de cler. c. 19

xxxx Ep. ad Philadelph.

yyyy de Sanct. Virgin. c. XX

fornicationem verò divinâ prohiberi, nec minus fornicatione, imò multò magis quàm matrimonio votum caſtitatis violari. Et tamen clericis ſuis *non tam concumbere, quàm nubere*, quod de Manichæis dixit Auguſtinus, [zzzz] *prohibent*, Vel, quod de Origenianis ſcriptum reliquit Epiphanius, [aaaaa] ἀθετοῦσι μὲν γάμον, καὶ οὐ παύεται ἀπ' αὐτῶν ἡ λαγνεία *nuptias rejiciunt, ſed non ceſſat apud eos libido.* Ex qva ſentina, dici non poteſt, quæ & quot immania pollutionum monſtra profluxerint. Hoc enim ſua prohibitione Romana eccleſia meruit, ut non *Babylon* ſolùm, ſed & *Sodoma* dicatur Apoc. XI, 8 nec πορνῶν modò, ſed etiam, ut liber Complutenſis & Regius habet, πόρνων, i. e. *Catamitorum* ſeu *Ganymedum mater* habeatur. c. XVII. 5. Verè enim & prudenter Polydorus Virgilius, *Illud*, inqvit, [bbbbb] *dixerim tantum abſuiſſe, ut iſta coacta caſtitas illam conjugalem vicerit, ut etiam nullius delicti crimen majus ordini dedecus, plus mali religioni, plus doloris omnibus bonis impreſſerit, inuſſerit, attulerit, quàm ſacerdotum libidinis labes.* Quis hic non exclamet cum Eraſmo! [ccccc] *Illud magis mirum, qvùm tot egregias dotes reqvirat Paulus in epiſcopo, qvod, cæteris prætermiſſis, ſolius uxoris habetur ratio. Admittitur inceſtus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur Sodomita, ſacrilegus, parricida, deniq; qvis non? ſolus δίγαμος excluditur ab hoc honore, qui ſolus nihil admiſit. Mirum eſt autem, ut qvædam urgemus ac plusquam mordicus tenemus, ad qvædam prorſus connivemus. Si qvis perpendat horum temporum ſtatum, qvotam hominum portionem Monachorum greges occupent; qvotam Sacerdotum & clericorum collegia: deindè perpendat quam pauci è tanto numero verè ſervent vitæ caſtimoniam, in qvæ libidinum genera qvàm innumeri devergant, qvanto cum probro complures pa-*

[zzzz] l. XXX cont. Fauſt. c. 6.

[aaaaa] hæreſ LXIII

[bbbbb] l. V. de invent. rer. c. 4.

[ccccc] in I Tim. III

res palàm inceſti ſint & impudici; fortaſſis judicabit, magis expedire, ut iis, qvi prorſus non continent, jus fiat publici matrimonii, qvod absq; mala fama purè ſanctèq; colant, potius qvàm infeliciter & turpiter libidinentur. Sed etiam atq; etiam vereor, ne cenſus eccleſiaſtici caſtrent hodie clericos potius qvàm pietas, dum metuimus, ne qvod tenemus intercipiatur, aut certè ne nihil accedat.

§. 32. Sed revertimur ex Occidente in Orientem, in quo circà hæc tempora nec lege, nec praxi univerſali introductum advertimus clericorum cœlibatum. Lex nec data fuit, nec dari potuit. Nam, ut rectè Theodoretus ſcribit, [ddddd] ὁ Δεσπότης Θεὸς νόμους περὶ παρθενίας οὐ τέθεικεν, οἶδε γὰρ ὑπὲρ φύσιν τὸ χρῆμα, *Dominus Deus leges de virginitate non dedit, novit enim id naturam ſuperare.* Et ſi qvæ ab hominibus data, particularis illa fuit, non ab omnibus approbata, imò improbata ab Apoſtolo ipſo, qui, ut iterum Theodoretus loquitur, [eeeee] καλῶς τὸ κωλυόντων γαμεῖν τέθεικεν, οὐδὲ γὰρ τὴν ἀγαμίαν καὶ τὴν ἐγκράτειαν διαβάλλει, ἀλλὰ τῶν ἀναγκαζόντων νόμῳ ταῦτα μετιέναι κατηγορεῖ, *rectè poſuit illud*, prohibentium nubere. *Neq; enim cœlibatum & continentiam vituperat, ſed eos accuſat, qui lege latâ hæc ſequi compellunt*: & praxi ipſa refutata, prout Socrates, qvi ſub medium hujus ſeculi vixit, atteſtatur, inquiens; [fffff] *In Oriente cuncti ſpontanea voluntate, & non aliqua neceſſitate, etiam epiſcopi, ſeipſos abſtinent. Plurimi enim eorum etiam epiſcopatus tempore ex legitima uxore filios habuerunt.*

[ddddd] Epit. d. d.

[eeeee] in I Tim. IV

[fffff] l. IX. H. c. 38

§. 33. Habitum eſt hac ipſa ætate Chalcedone Concilium, quod Oecumenicum IV dicitur, Permittit illud [ggggg] *lectoribus & Pſaltis* uxores ducere, vetat autem ἑτερόδοξον γυναῖκα λαμβάνειν. Idem poteſtatem facit epiſcopo [hhhhh] concedendi licentiam contrahendi iis perſonis,

[ggggg] can. XIV

[hhhhh] can. XVI

quæ continentiam voverant, vel ſaltem eas recipiendi in gremium eccleſiæ. *Παρθένον ἀναθεῖσαν ἑαυτὴν τῷ δεσπότῃ Θεῷ, ὡσαύτως δὲ καὶ μονάζοντας, μὴ ἐξεῖναι γάμῳ προσομιλεῖν. Εἰ δέ γε εὑρεθεῖεν τοῦτο ποιοῦντες, ἔστωσαν ἀκοινώνητοι. Ὡρίσαμεν δὲ ἔχειν τὴν αὐθεντίαν τῆς ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίας τὸν κατὰ τόπον ἐπίσκοπον. Virginem, quæ ſe Deo Domino dedicavit, ſimiliter & monachos non licere matrimonio conjungi. Si verò hoc feciſſe inventi fuerint, excommunicentur. Statuimus verò, auctoritatem habere loci epiſcopum iis humanitatem largiri.* Non hic jubentur aut viri aut fœminæ ſpondere virginitatem ſeu cœlibatū, ſed qui vel quæ ſpoſponderunt ultrò, jubentur promiſſa ſervare. Nam aut imprudenter promiſerunt, aut imprudenter à promiſſione facta diſcedunt: hic ſemper, aut illic culpa eſt. Quapropter, ſi non ſteterint promiſſis, excommunicantur, duriore quàm ante ſententia. Nam primum ex Concilio Ancyrano ad tempus abſtinebant à miniſterio; (de paribus par judicium,) poſt Concilium Nicænum perpetuò abſtinebant miniſterio, at non communione eccleſiæ; hic verò etiam à communione abſtinentur, ſed ita ut epiſcopali auctoritate redire ad communionem poſſint.

§. 24. Perluſtrato Oriente recurrimus in Occidentem, in qvo necdum univerſaliter receptus erat clericorum cœlibatus. Ipſe Leo, quem *Magnum* vocitant, qvique etiam ſubdiaconis, de quibus deceſſores Syricius & Innocentius nihil tale ſanxerant, perpetuæ abſtinentiæ jugum imponere voluiſſe creditur, vult [iiiii] *Sacerdoti eligendam eſſe Virginem in uxorem, non viduam*, &c, per conſequens, Sacerdotis conjugium haud improbat. Reſpondet quidem Bellarminus, *diſertis tamen verbis præcipere Leonem,*[kkkkk] *Epiſcopum ita unius uxoris virum eſſe debere, ut ab*

[iiiii] Ep. LXXXVII.

[kkkkk] Ep. LXXXIV.

ut ab illa perpetuò ſe contineat. Sed non advertit Bellarminus, 1. loqui Leonem de conjugiis non *quorumlibet*, ſed eorum ſolum, qui aut ipſi *digami* eſſent, aut *uxores viduas*, i. e. διγάμυς futuras ducerent. 2. *ſvaſiſſe* Leonem hinc inde abſtinentiam, ſed non *juſſiſſe*, quæ duo diſtinctiſſima ſunt.

§. 35. Circà Leonis, vel, ut alii volunt, Hilarii P. R. tempora coacta eſt Turoni inter Celtas ſynodus, qvæ, poſtquam matrimonio clericis interdixerat, addit; *Licet à Patribus noſtris è commiſſa auctoritate fuerit conſtitutum, ut quicunq; Sacerdos vel Levita filiorum procreationi operam dare fuiſſet convictus, à communione Dominica abſtineret, nos tamen huic diſtrictioni moderationem adhibentes, & juſta conſtitutione mollientes, id decrevimus, ut Sacerdos vel Levita conjugali concupiſcentia inhærens, vel à filiorum procreatione non deſinens, ad altiorem gradum non conſcendat, neq; ſacrificia Deo offerre, vel plebi miniſtrare præſumat. Sufficiat his tantum, ut à communione non efficiantur alieni.* Sed qvo loco habenda ſit hæc ſynodus, cui, quod ipſe Caranza inficias ire haud auſus fuit, vix VIII interfuêre epiſcopi, qui, ut ex ipſis capituli verbis edocemur, commiſſorio ſedis Romanæ inſtructi id decreverunt, quod epiſcopo Romano placuit, divinabit facile quisqvis divinare poterit. Utraque, tàm hæc, quàm altera Turonenſis, illa regnante Childerico, hæc Ariberto (quorum uterq; Galliam nonniſi ex parte aliqua tenuit,) habita, ad partem Galliæ pertinebat tantum, alibi ab ipſis ſacrorum oppugnata adminiſtris.

c. I & II

§. 36. Nos in decreta Gelaſii Papæ, qui ſeculum V clauſit, incidentes reperimus 1. communione eccleſiæ excluſos, qui *Virginibus ſacris NB temerè ſe ſociaſſent*, & *poſt dicatum Deo propoſitum NB. inceſta fœdera ſacrilegaq; miſcuiſſent.*

ſtuiſſent. 2. viduas poſt profeſſam continentiam nubentes judicio divino relictas. *Sicut enim*, inqvit Papa, *ſi ſe forſitan continere non poterant, ſecundum Apoſtolum nullatenus nubere vetabantur: ſic NB habita ſecum deliberatione promiſſam Deo pudicitiæ fidem debuerunt cuſtodire. Nos autem nullum talibus laqueum debemus injicere, ſed ſolas adhortationes præmii ſempiterni pœnasq; proponere divini judicii: ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem reddat Deo intentio. Cavendum eſt quippe, quæ de earum moribus, actibusq; B. Paulus teſtatur Apoſtolus, quod planius exponere præterimus, ne ſexus inſtabilis non tàm deterreri, quàm admoneri videatur.* 3. non ipſa ſecunda conjugia, ſed ob ea admiſſionem in clerum laicis ademtam. *Secundas*, inqvit, *nuptias ſicut ſecularibus iure conceditur, ita poſt eas nullus ad clericale ſinitur venire collegium. Alia eſt enim humanæ fragilitati generaliter conceſſa licentia, alia debet eſſe vita divinarum rerum ſervitio dedicata.* Ex quibus haud obſcurè colligere datur, conjugium ſacrarum perſonarum nec *omne*, nec *omni modo* prohibitum, ſed *repetitum*, & ſi interveniſſet *promiſſio continentiæ* prævia deliberatione facta.

§. 37. Sub initium *Seculi VI.* habita eſt in Gallia Narbonenſi ſynodus Agathenſis, cujus XL capitula numerat Caranza, Coriolanus verò & Surius LXXI. Cap. IX, quod Caranza planè omiſit, ex Syricii ac Innocentii auctoritate interdicitur clericis matrimonio, addita tamen hac cautione; *Quod ſi ad aliqvos formula illa eccleſiaſticæ vitæ pariter & diſciplinæ, quæ à Syricio epiſcopo ad provincias commeavit, non probabitur perveniſſe, eis ignorationis venia remittitur, ita ut de cætero penitus incipiant abſtinere. Et ita gradus ſuos, in qvibus inventi fuerint, ſic* SEC. VI

retineant, ut ad potiora illis non liceat aſcendere. Agnovêre ergò epiſcopi matrimonium & ſacrum ordinem non eſſe ſimpliciter inconſiſtibilia, aliàs ne quidem ad momentum combinare potuiſſent; prævaluit tamen apud eos Romanenſium epiſcoporum auctoritas, quia, ne Symmachum Papam offenderent, fors metuerunt. Qvod verò per praxin univerſalem nondum introductus fuerit cœlibatus clericorum, capitulum hujus ipſius Synodi, juxta Surium XXXIII, juxta Caranzam XXIV filiorum ac nepotum epiſcopalium mentionem injiciens oſtendit; *Epiſcopus*, habens, *qui filios aut nepotes non habuerit, alium qvam eccleſiam non relinqvat hæredem. Si qvid de eccleſia non in eccleſiæ cauſa aut neceſſitate præſumſerit, qvod diſtraxit, aut donavit, irritum habeatur. Qui verò filios habet, de bonis qvæ reliquit, ac hæredibus ejus indemnitatibus eccleſiæ conſulatur.*

§. 38. Paulò poſt in Gallia Celtica à Clodoveo Francorum rege cogebatur Synodus Aurelianenſis, qvam primam vocant. Hæc *filios clericorum in epiſcoporum poteſtate & diſtrictione conſiſtere* jubet [mmmmm]. Et conjugati ergò tunc temporis fuerunt clerici & liberorum parentes.

[mmmmm] c. VI

§. 39. Circà annum Chr. DXXXIII habitum eſt Toleti in Hiſpania Concilium IIdum, quod de clericorum cœlibatu ita conſtituit; [nnnnn] *De his qvos voluntas parentum à primis infantiæ annis in clericatus officio vel monachali poſuit, pariter ſtatuimus obſervandum, ut mox cum detonſi vel miniſterio electorum contraditi fuerint, in domo eccleſiæ ſub epiſcopali præſentia à præpoſito ſibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis ſuæ compleverunt annum, coràm totius cleri plebisq́ conſpectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab epiſcopo perſcrutetur, qvibus, ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante,*

[nnnnn] c. I.

inſpirante, placuerit, & promiſſionem caſtimoniæ ſuæ abſq; conjugali neceſſitate reſponderint ſervaturos, hi tanquam appetitores arctiſſimæ viæ leviſſimo Domini jugo ſubdantur: cavendum tamen eſt his, ne qvando ſuæ ſponſionis immemores ad terrenas nuptias, aut abortivos concubitus ultrò recurrant. Qvod ſi forte fecerint, ut ſacrilegii rei, ab eccleſia habeantur extranei. His autem qvibus voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo ſententiam auferre non poſſumus, ita ut cum provectæ ætatis in conjugio poſiti renunciaturos ſe pari conſenſu operibus carnis ſpoſponderint, ad ſacros gradus adſpirent. Laudanda omninò in eo Synodus, qvod cœlibatum non neceſſitati, ſed voluntati dederit, &, non attento parentum voto, poteſtatem reſiliendi ex manachatu vel clericatu conceſſerit iis, quibus donum continentiæ deerat. Interrogati hodie Romanenſes noſtri, quid obſtet, quo minus matrimonium contrahant clerici, voti emiſſionem obſtare regerunt, Jeſuitis tamen diſtinguentibus inter *votum ſimplex & ſolenne*, quod hoc impediat non illud, niſi poſt duos annos, quod privilegium Jeſuitarum ordini à Gregorio XIII conceſſum eſt, ut poſt duos annos ab emiſſo voto ſimplici poſſint retrogadi & ſeculares fieri. ooooo Sed ſolennitatem nihil addere efficaciæ obligationi ipſe Vasqvez, & ex vero, ſufficientiſſimè demonſtrat. ppppp Nos quidem non negamus, votum legitimum facere, ne conjugium poſteà *contrahatur licitè*, at ſi *contractum* ſit, non facit id *invalidum*. In eo certè culpanda qvammaximè eſt Synodus, qvod continentiæ abſolutam ſtipulationem admiſerit ab iis, qui vix decimum octavum ætatis annum compleverant. Peccat, qui abſq; limitatione futurorum eventuum abſolutum cœlibatum vovet;

ooooo extrav quæ incipit, Adſcendete Domino

ppppp in I. 2. diſp. CLXV, c. 7

 peccat,

peccat, qvi iſtiusmodi votum vel requirit, vel admittit. Quod enim abſolutè non eſt in mea poteſtate, non poſſum abſolutè vovere, etiam ſuppoſito divino auxilio, quia nullam habeo abſolutam promiſſionem, quod Deus bonum naturale & temporale, quale eſt continentia, mihi velit dare. Peccat, qui votum continentiæ abſolutè emittit ſine prævia ſufficienti deliberatione, peccat non minus, qui ejusmodi votum admittit. Ad ſufficientem vero deliberationem reqvirunt canones *quadrageſimum* alii, alii *ſexageſimum ætatis annum.* qqqqq

qqqqq cap. ſanctimoniales. & cap. juvenculas diſt. XXVIII conf. I. Tim. V, 1.

§. 40. Huic Concilio jungimus Aurelianenſe III tempore Childeberti Regis celebratum, cujus canone VI conſtituitur, ut *nullus clericorum, ne quidem Subdiaconus, propriæ (ſi forte jam habeat,) miſceatur uxori, aut, ſi fecerit, deponatur.* Non ergò planè interdicitur conjugio, ſed tantum exauctorari jubetur, qvisqvis ab uxore non abſtinuerit, quod tamen & *humanæ præſumtionis* erat, & vel ideò nullius valoris, quia *Synodus* tantum fuit *provincialis.*

§. 41. Quicquid ſit de harum aliarumve Synodorum ſtatutis, nondum tamen ubiq; cœlibatus clericorum obtinuit in eccleſia. Syracuſanis ordinationem epiſcopi uxorati, petentibus, reſpondit Pelagius P. R. Cethego Patritio; rrrrr *De Syracuſanæ urbis antiſtite optaveramus in ipſo initio gloriæ veſtræ deſideriis obedire, niſi nos multiplex ratio ipſius non paucis temporibus ordinationem differre ſacerdotii coëgiſſet, ob hoc, quod vel perſonæ qualitas (ſicut & vos melius noſtis) vel ſuperſtes uxor aut filii (per quos eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia) noſtros animos diutius ab ejus ordinatione ſuſpenderent. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro penè anno diſtulimus, opinantes quod in melius Syracuſanorum provenire poſſet electio. Sed quia in voluntatis*

rrrrr diſt. XXVIII cap. Syracuſæ

tatis ſuæ propoſito inrevocabiliter perſtiterunt, & nullus eſt alius in eadem repertus eccleſia, niſi longioribus adhuc temporum differretur ſpatiis; ne paulò amplius inſanirent (ſicut filii noſtri Magnifici Viri Prætoris teſtificatione didicimus,) inter hujuſmodi ambiguitates illud conſultius judicavimus faciendum, ut congrua providentia cauſam propter quam principalis conſtitutio habentem filios & uxorem ad epiſcopatus ordinem promoveri prohibet, ſalva diſpoſitione conſilii, muniremus. Quâ de re ſummo ſtudio ab eodem Syracuſanæ urbis epiſcopo, priusquam à nobis contingeret ordinari, hujuſmodi exegimus cautionem, per quam & ſuam fateretur, quantula eſſet, præſentis temporis habita rerum deſcriptione, ſubſtantiam, & nihil unquam per ſe aut per filios, & uxorem, ſive quamlibet propinquam aut domeſticam, vel extraneam forte perſonam de rebus uſurparet eccleſiæ, & univerſa ſui epiſcopatus quæſita tempore eccleſiæ ſuæ dominio ſociaret: nihil ultra id, quod modò ſcriptum eſt, filiis ſuis vel hæredibus relicturus. Ex quo intelligis, continentiam non injunctam tunc temporis ſacerdotibus uxoratis; cœlibatum verò & inſtitutum ideò, non quod matrimonium eſſet impurum, ſed ne bona eccleſiaſtica in uxores ac liberos ſacerdotum diſſiparentur; & non obtinuiſſe univerſaliter.

§. 24. *Hoc* ipſo *Seculo* Ann. Chr. DLXX Concilium Turonenſe II habitum epiſcopo concedit *uxorem* habere *ut Sororem*, quam *epiſcopam* appellat.[ſſſſſ]

SEC. VII

§. 43. *Seculum ſeptimum* attingit Gregorius I Papa R. qvem *Magnum* appellant, cujus tempore *Subdiaconorum* matrimonium adhuc in uſu fuiſſe, ipſe autor eſt.[ttttt] imò Gregorius ipſe permiſit Sacerdotes in Corſica cum uxoribus commorari.[uuuuu]

§. 44. Seculo eodem Anno Chr. DCXXXIII floruit

[ſſſſſ] cap. VIII & IX

[ttttt] lib. I Reg. Ep. 42

[uuuuu] ib. Ep. 50.

ruit Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis, qvi ſcripſit regulas de officio & vita clericorum, ubi inter alia, *Clerici*, inquit, wwwww *caſtimoniam non violati corporis perpetuò conſervare debent; aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur*

wwwww diſt XXIII c. 3

§. 45. Hac ipſa ætate circà tempora Honorii I P.R. Toleti IV Synodus habita eſt, ex cujus canone XXVI (qui ſic habet; *Quando presbyteri & diaconi per parochias conſtituuntur, oportet eos primum profeſſionem epiſcopo ſuo facere, ut caſtè & purè vivant ſub Dei timore.*) Bellarminus clericorum cœlibatum demonſtrare fruſtrà annititur. Caſtitas ſaltem & puritas vitæ præcipitur, quæ ſicut extra matrimonium poteſt amitti, ſic in eo conſervari & poteſt, & debet ab omnibus, maximè ſacerdotibus. Non prohibere hanc ipſam ſynodum conjugia clericorum, docemur ex canone XLII & XLIII, quorum ille, *Quidam clerici*, inquit, NB *legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum vel ancillarum ſuarum interdicta ſibi conſortia appetunt. Ideò quæ cum clericis TALITER conjunctæ ſunt, ab epiſcopo auferantur & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt.* Legitimum ergò matrimonium hoc tempore clericis fuit licitum, tantum illegitimus cum ancillis aut extraneis mulieribus congreſſus interdicitur. Hic verò; *Clerici, qui ſine conſulto Epiſcopi ſui uxores duxerunt, aut viduam, aut repudiatam, vel meretricem in conjugium acceperunt, ſeparari eos à proprio epiſcopo oportebit.* Uxores ergò ducere clericis non erat prohibitum, ſed uti id facerent conſulto in anteceſſum epiſcopo ſuo, vult canon.

§. 46. Viginti circiter poſt hanc Synodum annis congreſſi ſunt in eàdem Hiſpaniæ civitate Epiſcopi, qvi inter alia conſtituerunt, xxxxx ut *Subdiaconi* (de quibus

xxxxx cap. VI

relatum

relatum ipſis erat, *quosdam* eorum *non ſolùm carnis immunditie ſordidari, ſed etiam, quod dictu nefas, novis copulari uxoribus, omni penitus à ſorde mulierum ac familiaritate abſtinerent.* Vult Synodus, non ut non habeant uxores proprias, ſed ut non ſcortentur, aut repudiatâ levi de cauſa quam habebant novæ copulentur uxori. Ita enim ſeipſam explicat canon. præced. quando, *Pervenit*, inqvit, *ad totius Concilii ſacrum auditum, quosdam Sacerdotes & miniſtros, oblivìſcentes majorum & veterum conſtitutionum, aut uxorum, aut qvarumcunq; fœminarum NB. immunda ſocietate & execrabili contagione turpari, & peſſima cordis obſtinatione tàm NB ſacris literis* (quibus matrimonium Sacerdotum non eſt prohibitum) *quàm Patrum regulis obviantes, nec levi quidem reſpiramine contemplantes, quod ſcriptum eſt; Sancti eſtote, qvoniam & ego ſanctus ſum, dicit Dominus. Et illud Apoſtolicum; Mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuprà terram, NB hoc eſt, FORNICATIONEM & IMMUNDITIAM, CONCUPISCENTIAM MALAM & AVARITIAM.*

§. 47. Anno Chr. DCLXXXIII celebrata eſt Synodus Conſtantinopolitana, quæ VI dicitur. Hæc qvicquid in eccleſia Romana de cœlibatu Sacerdotum præceptum fuit, damnavit omne. Vetat illa qvidem, yyyyy *ne epiſcopi, presbyteri, diaconi & ſubdiaconi* POST ORDINATIONEM *uxorem ducant*, ſed citrà auctoritatem verbi divini, ſola canonum Apoſtolicorum auctoritate ſuffulta, quam tamen in hoc ipſo argumento Patres Concilii Chalcedonenſis ignorarunt; zzzzz & Gelaſius Papa cum Romana Synodo non injuſtè elevavit. aaaaaa At mox eadem Synodus, *Quoniam*, inqvit, bbbbbb *Romanæ eccleſiæ pro canone traditum eſſe cognovimus, ut diaconi vel presbyteri, qui digni qui ordinentur exiſtimandi ſunt, profiteantur ſe non amplius*

yyyyy can. VI

zzzzz can. XIV

aaaaaa diſt. XV cap. ſancta Romana.

bbbbbb can. XIII

amplius ſuis uxoribus conjungendos, nos antiqvum canonem Apoſtolicæ perfectionis ordinisq; ſervantes, hominum, qui ſunt in ſacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, neqvaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua tempore conveniente conſvetudine privantes. Quamobrem, ſi quis dignus inventus fuerit, qui hypodiaconus, vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima uxore cohabitet. Sed neq; ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur, ſe à legitima cum uxore conſvetudine abſtenturum, ne ex eo à Deo conſtitutas & ſua præſentia benedictas nuptias injuria afficere cogamur, Evangelica voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet, & Apoſtolo docente, honorabiles nuptias & thorum immaculatum, &, Alligatus es uxori? ne quære ſolutionem. Scimus autem, ſicut & qvi Carthagine convenerunt, & miniſtrorum gravitatis honeſtatisq; curam gerentes dixerunt, ut ſubdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & diaconi & presbyteri propriis terminis à conſortibus abſtineant: ut &, qvod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa usq; antiqvitate ſervatum, nos quoq; ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maximè in jejunio & oratione. Oportet enim eos, qui divino altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore eſſe omninò continentes, ut poſſint id, quod à Deo ſimpliciter petunt, obtinere. Si qvis ergò præter Apoſtolicos canones incitatus ſit aliqvem eorum, qui ſunt in ſacris, presbyterorum, inqvimus, vel diaconorum vel hypodiaconorum, conjunctione cum legitima uxore & conſvetudine privare, deponatur. Similiter & ſi qvis presbyter vel Diaconus ſuam uxorem pietatis prætextu ejecerit, ſegregetur; &, ſi perſeveret, deponatur. Approbatus eſt hic canon à Romana eccleſia [cccccc] verbis hiſce; *Quoniam in*

cccccc diſt. XXXI c. Quoniam.

Romani ordinis canone cognovimus eſſe traditum, eos qui digni habendi ſunt ordinatione diaconi vel presbyteri profiteantur quod non deinceps ſuis jam copulentur uxoribus. Nos antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligentiæ, & conſtitutiones ſacrorum virorum, legales nuptias à modo valere volumus, nullo modo cum uxoribus ſuis eorum connubia diſſolventes, aut privantes eos familiaritate ad invicem tempore oportuno. Non juvare hunc canonem cauſam Lutheranorum putat Bellarminus, qvia non permittat, ut ulli clerico poſt ſacrorum ordinum ſuſceptionem liceat uxorem ducere, ſed ſolum uti uxore ante ordinem ducta. Ita certè *factum*, ſed nullo *facti jure*. Quo enim jure clerico poſt ſuſceptionem ordinis uxoris conſuetudine uti licuit, eodem etiam licuit uxorem ducere; par eſt utriusque ratio. Ipſe Bellarminus, *Si licuit*, inqvit, dddddd *ſacerdotibus jure divino habere uxores, quas ante ordinationem duxerant, & eis uti maritorum more, cur, quæſo, non licuiſſet etiam poſt ordinationem ducere?* Ejusdem Concilii canone XLIIX. præcipi vult Bellarminus, ut epiſcopus non cohabitet uxori, ſed *hypothesis* eſt, non *præceptum*. Supponunt Patres conſenſum, & ſeparationem ex conſenſu mutuo, non autem imperant. Canone XII hac de re exſtare præceptum volunt Photius, Zonaras, Balſamon, qui tamen non loqvitur niſi de ſeparatione ad tempus, qvo ſacris operaturi συνουσίαν conjugalem deprecari etiam, ſi opus eſſet, uxorumq; conſenſum ad tempus jejunii & orationis exorare jubentur clerici: quod omninò confirmare videtur ſeqvens canon, qui conſtituit, ut *clerici cum ſuis conjugibus non habeant conjunctionem indiſcriminatim*, ſed ab iis, *vicis ſuæ tempore* abſtineant.

dddddd l. 1 de cler. c. 18

§. 48. Ex hoc ergò Concilio colligimus, per *DCC.*

F *à Chri-*

à Chriſto annos eccleſiam orientalem non approbaſſe,
aut ſaltem lege aliqua non ſanxiſſe miniſtrorum eccle-
ſiæ cœlibatum. Quod ſuo confirmat calculo Theodo-
eeeeee ad can V. Apoſt. rus Balſamo inqviens; eeeeee *Ante ſextam Synodum, quæ*
fuit in Trullo palatii, licebat epiſcopis uxores habere, etiam
poſt epiſcopalem dignitatem. Et quod magis mireris. Uxo-
rem habentem & liberos vetuerat fieri epiſcopum Juſti-
ffffff Nov. CXXII cap. 1 nianus *Seculo ſexto.* ffffff Trullani permittebant ordinari
epiſcopum conjugatum, ſed eâ lege, ut poſt ordinatio-
nem uxor ſepararetur *Sec. ſeptimo.* Leo Imperator, abro-
gata Juſtiniani ſanctione, noluit impediri ordinationem
epiſcoporum, quibus liberi eſſent ex legitimo conjugio,
gggggg Nov. II. idq; ſub finem ferè *Seculi noni.* gggggg Hinc obtinuit, ut
Epiſcoporum uxores, cum ordinantur, miniſterium ſub-
eant. Cæterum Presbyteris, diaconis, ſubdiaconis con-
ceſſit totus Oriens ordinationem, qvantumvis conjuga-
tis, non tamen ſi alteram duxiſſent uxorem, aut vidu-
am, aut ancillam, aut viro alteri conjunctam, qvem-
admodum & poſt ordinationem contrahendi poteſta-
tem ipſis ademptam legimus; quamvis neq; has leges
dederint Apoſtoli, nec canones perperam dicti Apoſtoli-
ci audiendi hic ſint in præjudicium factæ à Chriſto liber-
tatis. Hanc conſvetudinem ad hunc usq; diem obtine-
re in eccleſia Græca, teſtis eſt Jeremias Patriarcha Con-
hhhhhh reſponſ. 1 c. 21. A. Chr. 1580 ſtantinopolitanus, hhhhhh nec diſſimulant, qvi de Græco-
rum rebus ſcripſerunt, Allatius & Morinus; imò Græco-
rum hoc conjugium & licere etiamnum, & totiens ab ec-
cleſia Romana pro legitimo declaratum fatetur Eſpen-
iiiiii l. c. cæus. iiiiii

§. 49. Relabimur in Occidentem, eundem ad ſe-
culum hoc usq; noſtrum fugitivo perluſtraturi oculo. In
Seculum

Seculum IIXvum conjicitur à Bellarmino [kkkkkk] Gregorius III, P. R. cui id tribuit elogii Platina, [llll] quod fuerit *Vir ſingularis doctrina & humanitatis præcipua, Græca atq; Latina lingua eruditus, mentem divinæ Scripturæ ita callens, ut nemo tum diſertior prædicatione atq; interpretatione rerum occultarum & admirabilium haberetur. Præterea verò*, inqvit Platina, *ne verbo tantum & cohortatione populos moviſſe arbitreris, omnia, quæ exemplo movere poſſunt, ita aſſiduè obibat, ut judicare difficile ſit, promtior ne lingva quàm opere habendus eſſet. Orthodoxæ fidei ita acerrimus defenſor fuit, ut ob eam rem maximorum Principum graves ſimultates & inimicitias ſuſceperit, non armis, non potentia, non minis cujuspiam è gradu conſtantiæ ſuæ dejectus.* Hunc ipſum conjugio clericorum non adeò fuiſſe infenſum, ex literis ejus ad Bojariæ Epiſcopos conſcriptis innoteſcit, ubi, *Nemo*, inqvit, *Scorta aut concubinam alat, qvisq; aut caſtè vivat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non eſto*, apud Aventinum.[mmmmmmm]

SEC. VIII
[kkkkkk] Chron. p. II p. 72
[llll] in vita Gregor. III
[mmmmmmm] l. III annal. Bojor. p. 290

SEC. IX

§. 50. *Seculo nono* circà annum Chr. DCCCXVI tempore Ludovici I, Aqvisgrani celebratum eſt Concilium, cujus canon VI de ſubdiaconis hæc habet: *Placuit Patribus, ut, qvia ſacra myſteria contrectant, caſti & continentes ſint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditie liberi, juxta qvod illis Propheta dicente jubetur; Mundamini, qvi fertis vaſa Domini.* Qvem canonem qvo jure qvove pudore pro continentiæ perpetuo voto ſacris ordinibus annexo allegare auſus ſit Bellarminus, mireris haud immeritò. *Continentiam* enim præcipit nec *omni tempore*, ſed *quia*, ſeu *quando ſacra myſteria contrectant clerici*, nec *omnem*, ſed quæ *caſtitas* eſt, *carnali immunditiæ* adverſa, quam in συνουσίαις etiam conjugalibus locum habere toties jam dictum eſt.

§. 51. *Seculo eodem* Wormatiæ, qvod pervetuſtum eſt Vangionum oppidum, Synodus habita eſt, ut qvidam volunt, contra Græcos. In qua Patribus ⁿⁿⁿⁿⁿⁿ placuit, *ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi abſtineant ſe à conjugibus & non generent filios. Qvod decretum ſi violaverint, ab honore clericatus pellantur.* Sed Concilium eſt recentius & corruptioris ſeculi, ut auctoritatem mereatur nullam, quamvis illud ipſum non abrumpat conjugia, ſed à ducendis tantum conjugibus abſtinere velit clericos.

nnnnnn can. IX

SEC. X

§. 52. Sub ipſum *Seculi X* initium Moguntiæ celebrata Synodus, cujus canonem X non eſt qvod pro Sacerdotum cœlibatu adeò urgeat Bellarminus. Loquitur ille de commercio clericorum cum mulieribus quas præter uxorem canones veteres iis ſecum habere permiſerant; qvod qui non videt, nihil videt. Verba ſunt clariſſima: *Ut clericis interdicant mulieres in domo ſua habere, omnimodis decernimus. Quamvis enim ſacri canones qvasdam perſonas fœminarum* (v. g, matrem, ſororem, amitam,) *ſimul cum clericis in una domo habitare permittant; tamen (qvod multum dolendum eſt,) ſæpe audivimus, per illam conceſſionem plurima ſcelera eſſe commiſſa, ita ut quidam ſacerdotum cum propriis ſororibus concumbentes filios ex eis generaſſent.*

SEC. XI

§. 53. At *Seculum undecimum* conjugio clericorum in Occidente infeſtum valdè fuit. Occupabat tunc ſedem papalem Gregorius VII, ante Papatum *Hildebrandus* ſeu *Hellebrandus*, uti ait Georgius Dounamus, Epiſcopus Derenſis in Anglia, ºººººº id eſt, *inferni titio* dictus; Artium dæmoniacarum ſtudiis imbutum eum fuiſſe ab anteceſſoribus ſuis Benedicto IX & Gregorio VI, tradit Ben-

oooooo l. II de Antich. c. II, §. 4.

dit Benno, pppppp & hoc ſpeciminis inter alia; *Cum vellet, manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat, & iis miraculis oculos ſimplicium, velut ſigno ſanctitatis, ludificabat.* Necromanticum eum diſertè vocant Epiſcopi Synodi Brixinenſis, anno Chr. MLXXX habitæ, apud Marianum Scotum qqqqqq Johannem Trithemium, rrrrrr Johannem Aventinum, ssssss Onuphrium Panuinium, tttttt & Carolum Sigonium, uuuuuu quamvis totam hanc rem in quæſtionem vocitet Baronius. wwwwww Qvicquid ſit, *doctrinam* certè *dæmoniorum* I Tim. IV, 3. in eccleſiam introduxit, qvando *ſuadente*, ut ipſe poſteà confeſſus eſt, xxxxxx *& inſtigante Diabolo*, perpetui cœlibatus jugum clericis impoſuit, *uxoratos autem ſacerdotes à divino removit officio, & laicis miſſas eorum audire, aut illos pro ſacerdotibus ducere, contra Patrum ſanctorum ſententiam, interdixit*, uti legere licet apud Matthæum Pariſienſem, Monachum Albanenſem in Anglia. yyyyyy *Contra hoc decretum*, ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis, zzzzzz *(inſignis*, uti eũ collaudat Bellarminus, aaaaaa *& verax Hiſtoricus, præſertim cum de contentione inter Gregorium VII Papam & Henricum III Imperatorem agit,) protenus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans; qvi oblitus ſermonis Domini, quo ait; Non omnes capiunt hoc verbum, Qvi poteſt capere, capiat. Et Apoſtolus; Qui ſe non continet, nubat, melius eſt enim nubere qvàm uri: violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & dum conſvetum curſum negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret. Qvod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium quàm conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per eccleſiam Dei plebibus Angelos com-*

pppppp in vita Hildebrãdi

qqqqqq l. III Chron. ad ann. 1081

rrrrrr in Chron. monaſt. Hirſaugienſis an. 1081

ssssss lib. V. annal. Bojor

tttttt in vita Gregor. VII

uuuuuu libr. IX de regn. Ital. ad ann. 1080

wwwwww Tom. XI Annal. ad an. 1080

xxxxxx Sigebertus in Chron. an. 1085

yyyyyy Hiſtor. Anglic. in VVilhel.

zzzzzz in Hiſtor. ann. 1074

aaaaaa de ſcript. Eccl. p. 212

paraturus eſſet. Inſtante per Moguntinum Gregorio in Synodo Erfordianâ, ut *relegatâ omni tergiverſatione, impræſentiarum aut conjugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, multas contrà illi rationes afferebant, qvibus inſtantis perurgentisq́ improbitatem eludere, ſententiamq; caſſare niterentur. Cumq; adverſus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, quâ ſe Moguntinus ad hanc exactionem, præter voluntatem propriam, compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes precesq; efficerent; egreſſi tanquam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in Synodum non redeant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, ut in ſynodum regreſſi ipſum epiſcopum, priusquam exſecrabilem adverſus eos ſententiam promulgaret, cathedra epiſcopali deturbarent, & merita morte mulctato inſigne monumentum ad poſteros transmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere attentaret. Cum ad epiſcopum relatum eſt hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum, qvi oriebatur, matura moderatione præverteret, miſit ad eos foràs, rogavitq; ut ſedato pectore in Synodum regrederentur, ſe, cum primùm opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum & Dominum Apoſtolicum, ſi qva poſſet ratione, ab hac ſententiæ auſteritate deducturum.* Sequente anno, eodem Epiſcopo Moguntiæ ſynodum cogente, *inter alios episcopos, qvi convenerant, aderat Curienſis, Apoſtolicæ ſedis literas & mandata deferens, qvibus ei ſub interminatione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ut presbyteros omnes, qvi intra ſuam diœceſin eſſent, cogeret, aut impræſentiarum conjugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exſurgentes, qvi undiqvaq; aſſidebant, clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eam*

deba-

debacchabantur, ut ſe vita comite Synodo exceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali qvæſtione omninò ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinqvendum, ut cauſam, qvam ipſe totiens inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, qvando vellet, peroraret. Quantum verò ſcandalum dederit eccleſiæ hæc conſtitutio Gregoriana, exponit Sigebertus Monachus Gemblacenſis his verbis: [bbbbbbb] *Ex qva re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia graviori ſchiſmate diſciſſa ſit; his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus, continentiam paucis tenentibus, aliqvibus eam modò cauſa qvæſtus & jactantiæ ſimulantibus, multis continentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus; adhæc, hac oportunitate laicis inſurgentibus contrà ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium præ ſacro oleo & Chriſmate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum eccleſiæ obſeqvium ſepulturæ à presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas presbyteris deputatas igne cremant, & (ut in uno cætera perpendas,) laici corpus Domini à presbyteris conjugatis conſecratum, ſæpe pedibus conculcaverunt, & ſangvinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra jus & fas geſta ſunt in eccleſia.* Vel, ſi huic fidem denegas, qvi, ut criminatur Bellarminus, *in ſua Chronologia iniquior fuit Gregorio VII ob ſtudium in Imperatorem*, (nec tamen his res Imperatoris, ſed cleri agebatur,) *quâ de cauſa non pauca mentitus eſt, & præſertim cum narrat obitum ipſius Gregorii*, audi Aventinum, qvi, *Hinc occaſione accepta*, ſcribit, *populares ſacerdotulos, qvi uxores habebant, flocci faciebant, religionem polluebant, ſacra temerabant, luſtrica aqva paſſim expiabant, decimas igni*

[bbbbbbb] l. c

mas igni concremabant, ſacroſanctam hoſtiam (horreſco referens) à myſtis, qui conjuges habebant, conſecratam in lutum abjiciebant, pedibusq; conculcabant: Tales enim non eſſe ſacerdotes, neq; ſacrificare Hildebrandus docebat. Cœterùm memorabile eſt, quod de obitu Gregorii VII ſcribit Florentinus, Monachus Vigornienſis,[ccccccc] eum in extremis ſuis *confeſſum eſſe Omnipotenti Deo & S. Petro & toti eccleſiæ, valde ſe peccaſſe in Paſtorali cura, ſvadenteq; diabolo, contra genus humanum odium & iram incitaſſe: miſiſſe confeſſorem ſuum ad Imperatorem & totam eccleſiam, ut optaret illi indulgentiam; dimiſiſſe vincula bannorum Imperatori, & omni populo Chriſtiano, vivis & defunctis, clericis & laicis.* Idem de eo teſtatur Vincentius Bellovacenſis.[ddddddd] Vides ergò, clericos in *Italia, Gallia, Germania*, quorum epiſcopi Brixinæ Noricæ convenerant, utut vim paſſi ſint ab Hildebrando, jugum perpetui cœlibatus non admiſiſſe.

[ccccccc] Chron. ad ann. 1106

[ddddddd] lib. XXV ſpec. Hiſt. c. 82

§. 54. In *Britannia* qvoq; conjugia clericorum *Sec. X & XI* etiamnum probata fuiſſe, conſtat ex Hiſtoria Jorlanenſis, qvi *Alferus*, inqvit,[eeeeeee] *Princeps Merciorum cæteriq; plures, rejectis Monachis de magnis monaſteriis, qvos Rex Edgarus nuper inſtituerat, clericos cum uxoribus reduxerunt.* Matrimonia Sacerdotum in *Anglia* non fuiſſe lege lata prohibita ante Anshelmum Cantuarienſem Archiepiſcopum, teſtatur Henricus Huntingdonienſis Archidiaconus.[fffffff] *Eodem anno*, habent verba ejus, *tenuit Anshelmus Archiepiſcopus Concilium apud Londoniam*, (juſſu & inſtinctu Paſchalis Papæ,) *in qvo prohibuit uxores ſacerdotibus Anglorum ante non prohibitas. Quod qvibusdam rectiſſimum viſum eſt, qvibusdam periculoſum, dum munditias viribus majores appeterent, in immunditias horribiles ad chriſtiani nominis dedecus inciderent.* Imò poſt Anshel-

[eeeeeee] in vita Edgari.

[fffffff] lib. VII Hiſtor.

Anshelmum in Anglia per *annos CC.* clericos fuiſſe conjugatos, D. Foxi, editis contractuum inſtrumentis, Hiſtoria oſtendit apud Perkinſium. gggggg

gggggg l. c.

SEC. XII

§. 55. Sub fine *Sec. XII* Clemens III P. R. legitimos ſacerdotum conjugatorum filios absq; diſpenſatione & ſacri ordinis & beneficii eccleſiaſtici capaces eſſe reſpondit. hhhhhhh

hhhhhhh cap. Literas de fil. presb.

SEC. XIII

§. 56. *Seculo XIII* Anno Chr. MCCXV Romæ in Laterano habitum eſt Concilium ſub Innocentio III *longè celeberrimum*, ut Surius; *maximum*, ut Caranza notat. Illius capitulum XIV de presbyteris uxoratis ita loquitur; *Qui, ſecundum regionis ſuæ morem, non abdicârunt copulam conjugalem, ſi lapſi fuerint, gravius punientur, qvùm legitimo matrimonio uti poſſint.* iiiiii Non eſt, ut cum *Gloſſa* ad *Orientales* id referamus. Eo enim tempore jam eccleſiæ orientales, ut nunc, ab occidentalibus ſchismate erant diviſæ, & Concilia occidentalia nunquam circà ritus ac diſciplinam legem poſuerunt orientalibus. At ponamus de *Græcis* ſermonem eſſe, ſatis nobis erit demonſtraſſe ipſum Papam Romanum cum toto, maximo & celeberrimo Concilio Sacerdotum Græcorum conjugium pro *legitimo* habuiſſe & deprædicaſſe. Si autem legitimum, certè illegitimum ejus interdictum.

iiiiii lib. III decr. Gregor. Tit. 3. cap. ut clericorum.

§. 57. Hoc ipſo *Seculo* circà ann. Chr. MCCLXVI floruit Thomas Aqvinas, qui votum continentiæ non eſſe annexum ſolennitati ordinis *eſſentialiter*, ſed ſolum ex ſtatuto eccleſiæ, *accidentaliter*, docuit, kkkkkkk quod confirmavit poſtea circà ann. MCCXCV Bonifacius VIII *Voti ſolemnitatem ex ſola eccleſiæ conſtitutione inventam* eſſe ſcriptitans. lllll

kkkkkkk in 4 ſec. qv. 88.

lllll libr. III decret. Sixti tit. 15.

SEC. XIV

§. 58 Idem inculcat, qvi *Seculum XIV* incipit, Joh.

mmmmmmm in IV diſt. 38 Duns Scotus, mmmmmmm quem ſequitur Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus. nnnnnnn Ad annum hujus ſeculi MCCCXCIIX notat Joh. Wolfius; ooooooo *In vetuſtiſſimis monumentis eccleſiæ metropolitanæ Curienſis de epiſcopi ejus loci uxore legimus, quæ in qvarundam literarum fronte hoc titulo indicatur: Ego N. Antiſtita & Epiſcopa Curienſis &c. Ita etiam de Severo Archiepiſcopo Ravennate memoria proditum eſt, qvod is ordinaverit, & Teſtamento piè caverit, ſe, uxorem ſuam atq; filiam uno in ſepulcro tumulari.*

nnnnnnn Ibid.

ooooooo in lect. memor.

SEC. XV §. 59. Sub medium *Seculi XV* papalem thronum occupavit Pius II, ante Papatum *Æneas Sylvius* dictus. Scripſit is de Concilio Baſileenſi libros duos, in quorum altero, *Fortaſſe*, inqvit, *non eſſet pejus Sacerdotes complures uxorari, qvoniam multi ſalvarentur in Sacerdotio conjugato, qui nunc in ſterili presbyteriatu damnantur.* Eidem apud Platinam ppppppp præſentiſſimum Joſephi damnum hanc elicuit confeſſionem; *Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri.* Circà idem ferè tempus, vel paulò ante, Nicolaus Archiepiſcopus Panormitanus ſcripſit, *Matrimonium de jure divino non impedire ſuſceptionem ſacrorum ordinum, legem cœlibatus non eſſe de neceſſitate ſalutis, continentiam in clericis non eſſe de ſubſtantia ordinis, poſſe aliquem etiam poſt votum ſolenne contrahere*, & quæ ſunt alia. qqqqqqq

ppppppp in Pio II

qqqqqqq de cler. conj. cap. Cum olim. De pœn. & remis. §. Omnis. cap. Rursus.

SEC. XVI §. 60. Eadem ſub initium *Seculi XVI* propoſuit Thomas de Vio, patria Cajetanus, *Vir*, judice Bellarmino, *ſummi ingenii, nec minoris pietatis.* Verba ejus, qvæ apponantur digna, ſic habent: rrrrrrr *Nec ratione, nec auctoritate probatur, qvod abſolutè loqvendo Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, qvin potius & ratio ad oppoſitum ducit, quoniam, ut patet in 37. diſt. 4. ſent. nec ordo in qvantum*

rrrrrrr in opuſc. Tom. II tract. 31

ordo, nec ordo ſacer in qvantum ſacer, eſt impeditivus matrimonii : & in eccleſia occidentali NB olim diaconi poterant contrahere matrimonium — Manifeſtè quoq; dicitur, qvod orientales in Sacramentis conſtituti copulantur matrimoniis. Et ſacerdotium non dirimit matrimonium contractum, ſive ante, ſive poſt, ſecluſis omnibus legibus eccleſiaſticis, ſtando tantum iis quæ habemus à Chriſto & Apoſtolis, quibus ſtandum utiq; eſt. Conſentiunt Medina, ssssss Sotus, tttttt & quamplures alii.

ssssss lib. II de cont. c. 1

tttttt l. VII de jure qv. 6. a. 2

§. 61. Ad Concilium me confero Tridenti, ſub finem anni MDXLV inchoatum, finitum exeunte anno MDLXIII, in qvo decernitur; uuuuuuu *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit!* Mens Paterculorum Tridentinorum eſt, 1. ut *nemo conjugatus ſacris ordinibus initietur, niſi uxor voveat perpetuam caſtitatem.* 2. ut *nemo, poſtqvam initiatus eſt ſacris ordinibus, uxorem ducat.* 3. ut *qui ſacris ordinibus initiatus eſt, perpetuò ceſſet abuſu matrimonii*, uti eam declarat Gregorius de Valentia, wwwwwww vel ut Bellarminus, xxxxxxx *votum continentiæ ſacris ordinibus ita annexum eſſe, ut nec ducere uxores, nec uxoribus ante ductis uti liceat poſt ordinationem*: quod nervoſius effert Becanus, yyyyyy hoc modo, *votum ſolenne ſacris ordinibus annexum matrimonium & impedire & dirimere.*

uuuuuuu ſeſſ. XXIV, can. 9

wwwwwww T. V. diſt. 9. q. 5

xxxxxxx l. I de cler. c. 1

yyyyyy de Sacram. in ſpecie c. XLIX qv. 2

§. 62. Qvanti valere poſſit apud nos Concilii, vel potius Conciliabuli hujus auctoritas, Andreas Dudithius,

Episcopus Qvinqueeccleſienſis in epiſtola ad Maximilianum II Cæſarem de calice laicis concedendo & Sacerdotum conjugio, nos docet. zzzzzzz *Qvid profici potuit in eo Concilio*, ſcribit, *in qvo numerarentur, non ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? ſi causâ, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci qvidam ſocii nobis affuiſſent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adverſariorum: ſed cum numerus tantum prodiret in aciem, qvo longè inferiores futuri fuiſſemus, in optima cauſa victores diſcedere non potuimus. Singulis noſtrûm centenos de ſuis Papa potuit opponere, ac, ſi centeni parùm multi viderentur, repente mille creare potuit, qvos ſuis laborantibus ſubſidio mitteret. Itaq; videre erat, qvotidie famelicos & egentes epiſcopos, ex majori parte barbatulos adoleſcentes, luxuq; perditos Tridentum volitare, conductos ad ſententiam ſecundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos qvidem & ſtolidos, ſed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ acceſſerant, tum verò victrix exſultabat iniqvitas, neq; decerni jam qvidqvam potuit, niſi in eorum ſententiam, qvi Papæ potentiam luxumq; defendere, ſummam religionem arbitrabantur. Erat aliqvis Vir gravis & eruditus, qvi tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac inſectatione à Concilio ad probandum qvæ nollet, traducebatur. In ſumma, in eum ſtatum res eſt adducta iſtorum, qvi illuc facti inſtitutiq; venerant, improbitate, non ut jam epiſcoporum, ſed larvarum, non hominum, ſed ſimulacrorum, qvæ nervis moventur alienis, ut Dædali ſtatuæ fuiſſe perhibentur, concilium illud videretur. Erant epiſcopi illi conductitii pleriq; ut utres, ruſticorum muſicum inſtrumentum, qvos, ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Nil habuit cum illo conventu S. Spiritus commercii, omnia erant humana conſilia, qvæ in immodica &*

zzzzzzz in Hiſtor. ſub nom. Petri Svavis Plani.

ſane

ſanè qvàm pudenda Pontificum tuenda dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa tanqvam Delphis aut Dodonâ exſpectabantur: illuc nimirum Spiritus ille S. qvem ſuis Conciliis præeſſe jactant, tabellarii manticis incluſus mittebatur: qvi, qvod admodum ridiculum eſt, cum aliqvando, ut fit, aqvæ pluviis excreſcebant, non ante advolare poterat, qvàm inundationes deſediſſent. Ita fiebat, ut Spiritus non ſuper aqvas, ut eſt in Geneſi, ſed ſecus aqvas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, qvod epiſcopi, tanqvam plebs, ſciſcerent, niſi Papa auctor fieret.

§. 63. Nullam verò obligandi vim ineſſe huic decreto Tridentino, vel exinde conſtare poteſt, qvod non acceptatum illud eſt à Cæſare, Gallo, Bavaro & Principibus Germaniæ. Cæſar deceptum ſe à Tridentinis animadvertens, reſtitutionem conjugii clericornm apud Papam Pium IV vehementer urſit, ſcribens, *ad conſervandas reliqvias religionis in Imperio, & exſtingvendas hæreſes magnum momentum allaturum, ſi concedatur, ut ii Sacerdotes, qvi, qvod uxores duxiſſent, ſegreges facti ſunt, reconciliari poſſint, uxoribus retentis: utq; impoſterum in tanta Sacerdotum cœlibum penuria admittantur ad Sacerdotium conjugati probatæ vitæ & exiſtimationis.* Idem poſtulavit Bavarus in literis ad Pium datis, *ut ſaltem ad aliqvod tempus liceret Sacerdotes conjugatos retentis ſuis uxoribus eccleſiæ reconciliari, etiam eos, qvi mariti erant, ad ſacra miniſtranda ordinari.* Adjunxêre literis ſuis commentariolum qvendam à Theologis Catholicæ Religionis in Germania conſcriptum, in qvo pro reintroducendo clericorum matrimonio allegabantur utriusqve Teſtamenti Scriptura, Orientis & Occidentis exempla, Concilium Nicænum, Euſebius, Synodus Conſtan-

 tinopolitana

tinopolitana VI, qvibus omnibus ſubjicebantur rationum momenta ſuo non deſtituta pondere. *Quod ſi*, habent inter alia verba, *Eccleſiæ unquam cauſa fuerit permittendi clericis conjugium, hoc ſeculo eſſe. Ex qvinquaginta ſacerdotibus vix unum reperiri, qui non ſit ſcortator notorius. Neq; ſacerdotes tantum matrimonium expetere, ſed etiam ſeculares, ne illam vitæ turpitudinem in clericis videant, imò ob hanc cauſam eccleſiarum patronos beneficia ſua non niſi conjugatis conferre. Magnam eſſe inopiam miniſtrorum ob ſolum matrimonium vetitum. Eccleſiam aliàs hanc ipſam ob cauſam ſeveritatem canonum relaxaſſe. Pontificem confirmaſſe in epiſcopum Cæſarauguſtanum qvendam uxorem & liberos habentem, & bigamum promoviſſe ad diaconatum, & propter Epiſcopi defectum Sacramentum etiam confirmationis presbyteris ſimplicibus commiſiſſe. Multis Catholicis & ante hæc tempora viſum eſſe, & adhuc melius videri cum lege de continentia diſpenſare, matrimonio in libertate relicto, qvàm eâ retentâ feneſtram immundiſſimo cœlibatui aperire. Præſertim cùm teneat Cardinalis Panormitanus, cœlibatum non eſſe de ſubſtantia ordinis, neq; de jure divino, imò pro bono & ſalute animarum fore, matrimonium concedere. Non deeſſe eam in rem exempla veteris Eccleſiæ in Concilio Ancyrano. Satis liqvere, Papam qvoad ſacerdotes ſeculares diſpenſare poſſe, qvod nonnulli etiam extendant ad Regulares. Videri perqvàm abſurdum non admittere clericos uxoratos, & tolerare fornicarios; utrosq; verò amovere, eſſe, miniſtris velle carere. Qvod ſi omninò voto caſtitatis adſtringendi ſint, non alios quam provectæ ætatis ordini ſacro adſcribendos. Nec eſſe juſtam cauſam cœlibatus mordicus retinendi conſervationem bonorum eccleſiaſticorum, cum haud æqvum ſit, conſervandis bonis temporalibus*

ralibus tantam animarum jacturam facere : Præterquam qvod eorum indemnitati alia ratione provideri qveat. Hac ſi fierent, hauddubio brevi exploſum iri ex eccleſia concubinatum, & ſublatum illud ſcandalum, qvod multos hactenus offenderet. Cardinalis Lotharingus qvoq; & Præſules Galliæ non unas attulerunt in medium rationes, quibus ſuffulti *Presbyteris ſaltem* licentiam ducendi uxores à Synodo poſtulârunt, uti hæc omnia habes in Hiſtoria Concilii Tridentini, qvæ ſub nomine Petri Svavis Polani lucem adſpexit. *aaaaaaaa* Sed ſurdis narrabatur fabula, *aaaaaaaa* lib. VIII.
qvia non videbatur Pontifici ad lucrandum aurum & argentum conſilium hoc directum. Qvis neſcit enim Romæ paſſim proſtibula obvia eſſe, & publicas meretrices in partem mercedis vocare ipſum ſanctiſſimum Patrem, qui tributum ex ſcortatione colligit? Qvod cum Veſpaſianus olim ex urina impoſuiſſet, à filio monitus, poſtqvam nummum naribus ejus admoviſſet, reſpondit *Lucri bonum eſſe odorem ex re qvalibet.* Hoc axioma Pontifici placuit.

§. 64. Non tamen defuêre in medio Papatu, etiam *poſt Concilium Tridentinum*, qui contrà Papatum pro clericorum conjugio liberè & maſculè ſcriberent. Habes, *Lector*, præ aliis Clichtovæum, Espenſæum, Caſſandrum & Marcum Antonium de Dominis, qvos lege, & confiteberis, nec Orientem, nec Occidentem clericorum cœlibatui & perpetuæ continentiæ ex animo faviſſe unqvam.

TANTUM.

à Chriſto annos eccleſiam orientalem non approbaſſe, aut ſaltem lege aliqua non ſanxiſſe miniſtrorum eccleſiæ cœlibatum. Quod ſuo confirmat calculo Theodorus Balſamo inqviens ; [eeeeee] *Ante ſextam Synodum, quæ fuit in Trullo palatii, licebat episcopis uxores habere, etiam poſt episcopalem dignitatem.* Et quod magis mireris. Uxorem habentem & liberos vetuerat fieri epiſcopum Juſtinianus *Seculo ſexto.* [ffffff] Trullani permittebant ordinari epiſcopum conjugatum, ſed eâ lege, ut poſt ordinationem uxor ſepararetur *Sec. ſeptimo.* Leo Imperator, abrogata Juſtiniani ſanctione, noluit impediri ordinationem epiſcoporum, quibus liberi eſſent ex legitimo conjugio, idq; ſub finem ferè *Seculi noni.* [gggggg] Hinc obtinuit, ut Epiſcoporum uxores, cum ordinantur, miniſterium ſubeant. Cæterum Presbyteris, diaconis, ſubdiaconis conceſſit totus Oriens ordinationem, qvantumvis conjugatis, non tamen ſi alteram duxiſſent uxorem, aut viduam, aut ancillam, aut viro alteri conjunctam, qvemadmodum & poſt ordinationem contrahendi poteſtatem ipſis ademptam legimus; quamvis neq; has leges dederint Apoſtoli, nec canones perperam dicti Apoſtolici audiendi hic ſint in præjudicium factæ à Chriſto libertatis. Hanc conſvetudinem ad hunc usq; diem obtinere in eccleſia Græca, teſtis eſt Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, [hhhhhh] nec diſſimulant, qvi de Græcorum rebus ſcripſerunt, Allatius & Morinus ; imò Græcorum hoc conjugium & licere etiamnum, & totiens ab eccleſia Romana pro legitimo declaratum fatetur Eſpencæus. [iiiiii]

[eeeeee] ad can V. Apoſt.

[ffffff] Nov. CXXII cap. 1

[gggggg] Nov. II.

[hhhhhh] reſponſ. I c. 21. A. Chr. 1580

[iiiiii] l. c.

§. 49. Relabimur in Occidentem, eundem ad ſeculum hoc usq; noſtrum fugitivo perluſtraturi oculo. In

Seculum

Seculum IIXvum conjicitur à Bellarmino kkkkkk Gregorius III, P. R. cui id tribuit elogii Platina, uuuu quod fuerit *Vir ſingularis doctrinæ & humanitatis præcipuæ, Græca atq; Latina lingua eruditus, mentem divinæ Scripturæ ita callens, ut nemo tum diſertior prædicatione atq; interpretatione rerum occultarum & admirabilium haberetur. Præterea verò*, inqvit Platina, *ne verbo tantum & cohortatione populos moviſſe arbitreris, omnia, quæ exemplo movere poſſunt, ita aſſiduè obibat, ut judicare difficile ſit, promtior ne lingva quàm opere habendus eſſet. Orthodoxæ fidei ita acerrimus defenſor fuit, ut ob eam rem maximorum Principum graves ſimultates & inimicitias ſusceperit, non armis, non potentia, non minis cujuspiam è gradu conſtantiæ ſuæ dejectus.* Hunc ipſum conjugio clericorum non adeò fuiſſe infenſum, ex literis ejus ad Bojariæ Epiſcopos conſcriptis innoteſcit, ubi, *Nemo*, inqvit, *Scorta aut concubinam alat, qvisq; aut caſtè vivat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non eſto*, apud Aventinum. mmmmmm

SEC. VIII

kkkkkk Chron. p. II p. 72

uuuu in vita Gregor. III

mmmmmm l. III annal. Bojor. p. 290

§. 50. *Seculo nono* circà annum Chr. DCCCXVI tempore Ludovici I, Aqvisgrani celebratum eſt Concilium, cujus canon VI de ſubdiaconis hæc habet: *Placuit Patribus, ut, qvia ſacra myſteria contrectant, caſti & continentes ſint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditie liberi, juxta qvod illis Propheta dicente jubetur; Mundamini, qvi fertis vaſa Domini.* Qvem canonem qvo jure qvove pudore pro continentiæ perpetuo voto ſacris ordinibus annexo allegare auſus ſit Bellarminus, mireris haud immeritò. *Continentiam* enim præcipit nec *omni tempore*, ſed *quia*, ſeu *quando ſacra myſteria contrectant clerici*, nec *omnem*, ſed quæ *caſtitas* eſt, *carnali immunditiæ* adverſa, quam in συνουσίαις etiam conjugalibus locum habere toties jam dictum eſt.

SEC. IX

§. 51. *Seculo eodem* Wormatiæ, qvod pervetuſtum eſt Vangionum oppidum, Synodus habita eſt, ut qvidam
nnnnnn can. IX volunt, contra Græcos. In qua Patribus nnnnnn placuit, *ut epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi abſtineant ſe à conjugibus & non generent filios. Qvod decretum ſi violaverint, ab honore clericatus pellantur.* Sed Concilium eſt recentius & corruptioris ſeculi, ut auctoritatem mereatur nullam, quamvis illud ipſum non abrumpat conjugia, ſed à ducendis tantum conjugibus abſtinere velit clericos.

SEC. X

§. 52. Sub ipſum *Seculi X* initium Moguntiæ celebrata Synodus, cujus canonem X non eſt quod pro Sacerdotum cœlibatu adeò urgeat Bellarminus. Loquitur ille de commercio clericorum cum mulieribus quas præter uxorem canones veteres iis ſecum habere permiſerant; qvod qui non videt, nihil videt. Verba ſunt clariſſima: *Ut clericis interdicant mulieres in domo ſua habere, omnimodis decernimus. Qvamvis enim ſacri canones qvasdam perſonas fœminarum* (v. g, matrem, ſororem, amitam,) *ſimul cum clericis in una domo habitare permittant; tamen (qvod multum dolendum eſt,) ſæpe audivimus, per illam conceſſionem plurima ſcelera eſſe commiſſa, ita ut quidam ſacerdotum cum propriis ſororibus concumbentes filios ex eis generaſſent.*

SEC. XI

§. 53. At *Seculum undecimum* conjugio clericorum in Occidente infeſtum valdè fuit. Occupabat tunc ſedem papalem Gregorius VII, ante Papatum *Hildebrandus* ſeu *Hellebrandus*, uti ait Georgius Dounamus, Epiſ-
oooooo l. III de Antich. c. II, §, 4. copus Derenſis in Anglia, oooooo id eſt, *inferni titio* dictus; Artium dæmoniacarum ſtudiis imbutum eum fuiſſe ab anteceſſoribus ſuis Benedicto IX & Gregorio VI, tradit Ben-

dit Benno, pppppp & hoc ſpeciminis inter alia; *Cum vellet, manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum ignis diſſiliebat, & iis miraculis oculos ſimplicium, velut ſigno ſanctitatis, ludificabat.* Necromanticum eum diſertè vocant Epiſcopi Synodi Brixinenſis, anno Chr. MLXXX habitæ, apud Marianum Scotum qqqqqq Johannem Trithemium, rrrrrr Johannem Aventinum, ssssss Onuphrium Panuinium, tttttt & Carolum Sigonium, uuuuuu quamvis totam hanc rem in quæſtionem vocitet Baronius. wwwwww Qvicquid ſit, *doctrinam* certè *dæmoniorum* I Tim. IV, 3. in eccleſiam introduxit, qvando *ſuadente*, ut ipſe poſteà confeſſus eſt, xxxxxx *& inſtigante Diabolo*, perpetui cœlibatus jugum clericis impoſuit, *uxoratos autem ſacerdotes à divino removit officio, & laicis miſſas eorum audire, aut illos pro ſacerdotibus ducere, contra Patrum ſanctorum ſententiam, interdixit*, uti legere licet apud Matthæum Pariſienſem, Monachum Albanenſem in Anglia. yyyyyy *Contra hoc decretum*, ſcribit Lambertus Schafnaburgenſis, zzzzzz *(inſignis*, uti eũ collaudat Bellarminus, aaaaaa *& verax Hiſtoricus, præſertim cum de contentione inter Gregorium VII Papam & Henricum III Imperatorem agit,) protenus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hæreticum & veſani dogmatis eſſe clamitans; qvi oblitus ſermonis Domini, quo ait; Non omnes capiunt hoc verbum, Qvi poteſt capere, capiat. Et Apoſtolus; Qui ſe non continet, nubat, melius eſt enim nubere qvàm uri: violenta exactione homines vivere cogeret ritu angelorum, & dum conſvetum curſum negaret, fornicationi & immunditiæ frena laxaret. Qvod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe ſacerdotium quàm conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis per eccleſiam Dei plebibus Angelos comparaturus*

pppppp in vita Hildebrandi

qqqqqq l. VII Chron. ad ann. 1081

rrrrrr in Chron. monaſt. Hirſaugienſis an. 1081

ssssss lib. V. annal. Bojor

tttttt in vita Gregor. VII

uuuuuu libr. IX de regn. Ital. ad ann. 1080

wwwwww Tom. XI Annal. ad an. 1080

xxxxxx Sigebertus in Chron. an. 1085

yyyyyy Hiſtor. Anglic. in VVilhel. 2.

zzzzzz in Hiſtor. ann. 1074

aaaaaa de ſcript. Eccl. p. 212

paraturus eſſet. Inſtante per Moguntinum Gregorio in Synodo Erfordianâ, ut *relegatâ omni tergiverſatione, impræſentiarum aut conjugium abiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, multas contrà illi rationes afferebant, qvibus inſtantis perurgentisq́; improbitatem eludere, ſententiamq́; caſſare niterentur. Cumq́; adverſus Apoſtolicæ ſedis auctoritatem, quâ ſe Moguntinus ad banc exactionem, præter voluntatem propriam, compulſum obtendebat, nihil argumenta, nihil ſupplicationes precesq́; efficerent; egreſſi tanquam ad conſultandum, conſilium ineunt, ut in Synodum non redeant, ſed injuſſi omnes in domos ſuas diſcedant. Nonnulli etiam confuſis vocibus clamitabant, melius ſibi videri, ut in ſynodum regreſſi ipſum epiſcopum, priusquam exſecrabilem adverſus eos ſententiam promulgaret, cathedra epiſcopali deturbarent, & merita morte mulctato inſigne monumentum ad poſteros transmitterent, ne quis deinceps ſucceſſorum ejus talem ſacerdotali nomini calumniam ſtruere attentaret. Cum ad epiſcopum relatum eſt hoc eos machinari, commonitus à ſuis, ut tumultum, qvi oriebatur, matura moderatione præverteret, miſit ad eos foràs, rogavitq́; ut ſedato pectore in Synodum regrederentur, ſe, cum primùm opportunitas arriſiſſet, Romam miſſurum & Dominum Apoſtolicum, ſiqva poſſet ratione, ab hac ſententiæ auſteritate deducturum.* Sequente anno, eodem Epiſcopo Moguntiæ ſynodum cogente, *inter alios epiſcopos, qvi convenerant, aderat Curienſis, Apoſtolicæ ſedis literas & mandata deferens, qvibus ei ſub interminatione gradus & ordinis ſui præcipiebat, ut presbyteros omnes, qvi intra ſuam diœceſin eſſent, cogeret, aut impræſentiarum conjugibus renuntiare, aut ſe in perpetuum ſacri altaris miniſterio abdicare. Quod dum facere vellet, exſurgentes, qvi undiqvaq́; aſſidebant, clerici, ita eum verbis confutabant, ita manibus & totius corporis geſtu in eum*

deba-

debacchabantur, ut ſe vita comite Synodo exceſſurum deſperaret. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, ſtatuit ſibi deinceps tali qvæſtione omninò ſuperſedendum, & Romano Pontifici relinqvendum, ut cauſam, qvam ipſe totiens inutiliter propoſuiſſet, ille per ſemetipſum, qvando vellet, peroraret. Quantum verò ſcandalum dederit eccleſiæ hæc conſtitutio Gregoriana, exponit Sigebertus Monachus Gemblacenſis his verbis: bbbbbbb *Ex qva re tam grave oritur ſcandalum, ut nullius hæreſis tempore ſancta eccleſia graviori ſchismate diſciſſa ſit; his pro juſtitia, illis contra juſtitiam agentibus, continentiam paucis tenentibus, aliqvibus eam modò cauſa quæſtus & jactantiæ ſimulantibus, multis continentiam perjurio aut multipliciori adulterio cumulantibus; adhæc, hac oportunitate laicis inſurgentibus contrà ſacros ordines, & ſe ab omni eccleſiaſtica ſubjectione excutientibus, laici ſacra myſteria temerant & de his diſputant, infantes baptizant, ſordido humore aurium pro ſacro oleo & Chriſmate utentes, in extremo vitæ viaticum Dominicum, & uſitatum eccleſiæ obſeqvium ſepulturæ à presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas presbyteris deputatas igne cremant, & (ut in uno cætera perpendas,) laici corpus Domini à presbyteris conjugatis conſecratum, ſæpe pedibus conculcaverunt, & ſangvinem Domini voluntariè effuderunt, & multa alia contra jus & fas geſta ſunt in eccleſia.* bbbbbbb l. c

Vel, ſi huic fidem denegas, qvi, ut criminatur Bellarminus, *in ſua Chronologia iniquior ſuit Gregorio VII ob ſtudium in Imperatorem*, (nec tamen his res Imperatoris, ſed cleri agebatur,) *quâ de cauſa non pauca mentitus eſt, & præſertim cum narrat obitum ipſius Gregorii*, audi Aventinum, qvi, *Hinc occaſione accepta*, ſcribit, *populares ſacerdotulos, qvi uxores habebant, flocci faciebant. religionem polluebant, ſacra temerabant, luſtrica aqva paſſim expiabant, deci-*

mas igni

Anshelmum in Anglia per *annos CC.* clericos fuiſſe conjugatos, D. Foxi, editis contractuum inſtrumentis, Hiſtoria oſtendit apud Perkinſium. *ggggggg*

ggggggg l. c.

SEC. XII

§. 55. Sub fine *Sec. XII* Clemens III P. R. legitimos ſacerdotum conjugatorum filios absq; diſpenſatione & ſacri ordinis & beneficii eccleſiaſtici capaces eſſe reſpondit. *hhhhhhh*

hhhhhhh cap. Literas de fil. presb.

SEC. XIII

§. 56. *Seculo XIII* Anno Chr. MCCXV Romæ in Laterano habitum eſt Concilium ſub Innocentio III *longè celeberrimum*, ut Surius; *maximum*, ut Caranza notat. Illius capitulum XIV de presbyteris uxoratis ita loquitur; *Qui, ſecundum regionis ſuæ morem, non abdicârunt copulam conjugalem, ſi lapſi fuerint, gravius punientur, qvùm legitimo matrimonio uti poſſint.* *iiiiiii* Non eſt, ut cum *Gloſſa* ad *Orientales* id referamus. Eo enim tempore jam eccleſiæ orientales, ut nunc, ab occidentalibus ſchismate erant diviſæ, & Concilia occidentalia nunquam circà ritus ac diſciplinam legem poſuerunt orientalibus. At ponamus de *Græcis* ſermonem eſſe, ſatis nobis erit demonſtraſſe ipſum Papam Romanum cum toto, maximo & celeberrimo Concilio Sacerdotum Græcorum conjugium pro *legitimo* habuiſſe & deprædicaſſe. Si autem legitimum, certè illegitimum ejus interdictum.

iiiiiii lib. III decr. Gregor. Tit. 3. cap. ut clericorum.

§. 57. Hoc ipſo *Seculo* circà ann. Chr. MCCLXVI floruit Thomas Aqvinas, qui votum continentiæ non eſſe annexum ſolennitati ordinis *eſſentialiter*, ſed ſolum ex ſtatuto eccleſiæ, *accidentaliter*, docuit, *kkkkkkk* quod confirmavit poſtea circà ann. MCCXCV Bonifacius VIII *Voti ſolemnitatem ex ſola eccleſiæ conſtitutione inventam* eſſe ſcriptitans. *lllllll*

kkkkkkk in 4 ſec. qv. 88.

lllllll libr. III decret. Sixti tit. 15.

SEC. XIV

§. 58 Idem inculcat, qvi *Seculum XIV* incipit, Joh.

mmmmmmm in IV diſt. 38 Duns Scotus, mmmmmmm quem ſequitur Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus. nnnnnnn Ad annum hujus ſeculi MCCCXCIIX notat Joh. Wolfius; ooooooo *In vetuſtiſſimis monumentis eccleſiæ metropolitanæ Curienſis de epiſcopi ejus loci uxore legimus, quæ in quarundam literarum fronte hoc titulo indicatur: Ego N. Antiſtita & Epiſcopa Curienſis &c. Ita etiam de Severo Archiepiſcopo Ravennate memoriæ proditum eſt, quod is ordinaverit, & Teſtamento piè caverit, ſe, uxorem ſuam atq; filiam uno in ſepulcro tumulari.*

nnnnnnn Ibid. ooooooo in lect. memor.

SEC. XV §. 59. Sub medium *Seculi XV* papalem thronum occupavit Pius II, ante Papatum *Æneas Sylvius* dictus. Scripſit is de Concilio Baſileenſi libros duos, in quorum altero, *Fortaſſe*, inqvit, *non eſſet pejus Sacerdotes complures uxorari, quoniam multi ſalvarentur in Sacerdotio conjugato, qui nunc in ſterili presbyteriatu damnantur.* Eidem apud Platinam ppppppp præſentiſſimum Joſephi damnum hanc elicuit confeſſionem; *Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri.* Circà idem ferè tempus, vel paulò ante, Nicolaus Archiepiſcopus Panormitanus ſcripſit, *Matrimonium de jure divino non impedire ſuſceptionem ſacrorum ordinum, legem cœlibatus non eſſe de neceſſitate ſalutis, continentiam in clericis non eſſe de ſubſtantia ordinis, poſſe aliquem etiam poſt votum ſolenne contrahere*, & quæ ſunt alia. qqqqqqq

ppppppp in Pio II

qqqqqqq de cler. conj. cap. Cum olim. De pœn. & remis. §. Omnis. cap. Rurſus.

SEC. XVI §. 60. Eadem ſub initium *Seculi XVI* propoſuit Thomas de Vio, patria Cajetanus, *Vir*, judice Bellarmino, *ſummi ingenii, nec minoris pietatis.* Verba ejus, qvæ apponantur digna, ſic habent: rrrrrrr *Nec ratione, nec auctoritate probatur, qvod abſolutè loqvendo Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, qvin potius & ratio ad oppoſitum ducit, quoniam, ut patet in 37. diſt. 4. ſent. nec ordo in qvantum ordo,*

rrrrrrr in opuſc. Tom. II tract. 31

ordo, nec ordo ſacer in qvantum ſacer, eſt impeditivus matrimonii: & in eccleſia occidentali NB olim diaconi poterant contrahere matrimonium — Manifeſtè quoq; dicitur, qvod orientales in Sacramentis conſtituti copulantur matrimoniis. Et ſacerdotium non dirimit matrimonium contractum, ſive ante, ſive poſt, ſecluſis omnibus legibus eccleſiaſticis, ſtando tantum iis quæ habemus à Chriſto & Apoſtolis, quibus ſtandum utiq; eſt. Conſentiunt Medina, ssssss Sotus, tttttt & quamplures alii.

ssssss lib. II de cont. c. 1

tttttt l. VII de jure qv. 6. a. 2

§. 61. Ad Concilium me confero Tridenti, ſub finem anni MDXLV inchoatum, finitum exeunte anno MDLXIII, in qvo decernitur; uuuuuu *Si quis dixerit, clericos in ſacris ordinibus conſtitutos vel regulares caſtitatem ſolenniter profeſſos poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege eccleſiaſtica vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, qvam damnare matrimonium, poſſeq; omnes contrahere matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit!* Mens Paterculorum Tridentinorum eſt, 1 ut *nemo conjugatus ſacris ordinibus initietur, niſi uxor voveat perpetuam caſtitatem.* 2. ut *nemo, poſtqvam initiatus eſt ſacris ordinibus, uxorem ducat.* 3. ut *qui ſacris ordinibus initiatus eſt, perpetuò ceſſet abuſu matrimonii,* uti eam declarat Gregorius de Valentia, wwwwww vel ut Bellarminus, xxxxxx *votum continentiæ ſacris ordinibus ita annexum eſſe, ut nec ducere uxores, nec uxoribus ante ductis uti liceat poſt ordinationem*: quod nervoſius effert Becanus, yyyyyy hoc modo, *votum ſolenne ſacris ordinibus annexum matrimonium & impedire & dirimere.*

uuuuuu ſeſſ. XXIV, can. 9

wwwwww T. V. diſt. 9. q. 5

xxxxxx l. I de cler. c. 1

yyyyyy de Sacram. in ſpecie c. XLIX qv. 2

§. 62. Qvanti valere poſſit apud nos Concilii, vel potius Conciliabuli hujus auctoritas, Andreas Dudithius,

Episcopus Qvinqueccleſienſis in epiſtola ad Maximilianum II Cæſarem de calice laicis concedendo & Sacerdotum conjugio, nos docet. *zzzzzzz Qvid profici potuit in eo Concilio*, ſcribit, *in qvo numerarentur, non ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? ſi causâ, ſi ratione pugnandum fuiſſet, ſi pauci qvidam ſocii nobis affuiſſent, viceramus, quamvis pauci, magnas copias adverſariorum: ſed cum numerus tantum prodiret in aciem, qvo longè inferiores futuri fuiſſemus, in optima cauſa victores diſcedere non potuimus. Singulis noſtrûm centenos de ſuis Papa potuit opponere, ac, ſi centeni parùm multi viderentur, repente mille creare potuit, qvos ſuis laborantibus ſubſidio mitteret. Itaq; videre erat, qvotidie famelicos & egentes epiſcopos, ex majori parte barbatulos adoleſcentes, luxuq; perditos Tridentum volitare, conductos ad ſententiam ſecundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos qvidem & ſtolidos, ſed tamen impudentia & audacia utiles. Hi cum ad veteres adulatores Papæ acceſſerant, tum verò victrix exſultabat iniqvitas, neq; decerni jam qvidqvam potuit, niſi in eorum ſententiam, qvi Papæ potentiam luxumq; defendere, ſummam religionem arbitrabantur. Erat aliqvis Vir gravis & eruditus, qvi tantam indignitatem ferre non poterat, hic, ut non bonus Catholicus, terrore, minis ac inſectatione à Concilio ad probandum qvæ nollet, traducebatur. In ſumma, in eum ſtatum res eſt adducta iſtorum, qvi illuc facti inſtitutiq; venerant, improbitate, non ut jam epiſcoporum, ſed larvarum, non hominum, ſed ſimulacrorum, qvæ nervis moventur alienis, ut Dædali ſtatuæ fuiſſe perhibentur, concilium illud videretur. Erant epiſcopi illi conductitii pleriq; ut utres, ruſticorum muſicum inſtrumentum, qvos, ut vocem mittant, inflare neceſſe eſt. Nil habuit cum illo conventu S. Spiritus commercii, omnia erant humana conſilia, qvæ in immodica & ſanè*

zzzzzzz in Hiſtor. ſub nom. Petri Svavis Plani.

ſanè qvàm pudenda Pontificum tuenda dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa tanqvam Delphis aut Dodonâ exſpectabantur: illuc nimirum Spiritus ille S. qvem ſuis Conciliis præeſſe jactant, tabellarii manticis incluſus mittebatur: qui, qvod admodum ridiculum eſt, cum aliqvando, ut fit, aqvæ pluviis excreſcebant, non ante advolare poterat, qvàm inundationes deſediſſent. Ita fiebat, ut Spiritus non ſuper aqvas, ut eſt in Geneſi, ſed ſecus aqvas ferretur. O portentoſam & ſingularem dementiam! Ratum nihil eſſe poterat, qvod epiſcopi, tanqvam plebs, ſciſcerent, niſi Papa auctor fieret.

§. 63. Nullam verò obligandi vim ineſſe huic decreto Tridentino, vel exinde conſtare pôteſt, qvod non acceptatum illud eſt à Cæſare, Gallo, Bavaro & Principibus Germaniæ. Cæſar deceptum ſe à Tridentinis animadvertens, reſtitutionem conjugii clericornm apud Papam Pium IV vehementer urſit, ſcribens, *ad conſervandas reliqvias religionis in Imperio, & exſtingvendas hæreſes magnum momentum allaturum, ſi concedatur, ut ii Sacerdotes, qvi, qvod uxores duxiſſent, ſegreges facti ſunt, reconciliari poſſint, uxoribus retentis: utq; impoſterum in tanta Sacerdotum cœlibum penuria admittantur ad Sacerdotium conjugati probatæ vitæ & exiſtimationis.* Idem poſtulavit Bavarus in literis ad Pium datis, *ut ſaltem ad aliqvod tempus liceret Sacerdotes conjugatos retentis ſuis uxoribus eccleſiæ reconciliari, etiam eos, qvi mariti erant, ad ſacra miniſtranda ordinari.* Adjunxêre literis ſuis commentariolum qvendam à Theologis Catholicæ Religionis in Germania conſcriptum, in qvo pro reintrodûcendo clericorum matrimonio allegabantur utriusqve Teſtamenti Scriptûra, Orientis & Occidentis exempla, Concilium Nicænum, Euſebius, Synodus Conſtan-

 tinopolitana

tinopolitana VI, qvibus omnibus ſubjicebantur rationum momenta ſuo non deſtituta pondere. *Quod ſi*, habent inter alia verba, *Eccleſia unquam cauſa fuerit permittendi clericis conjugium, hoc ſeculo eſſe. Ex qvinquaginta ſacerdotibus vix unum reperiri, qui non ſit ſcortator notorius. Neq; ſacerdotes tantum matrimonium expetere, ſed etiam ſeculares, ne illam vitæ turpitudinem in clericis videant, imò ob hanc cauſam eccleſiarum patronos beneficia ſua non niſi conjugatis conferre. Magnam eſſe inopiam miniſtrorum ob ſolum matrimonium vetitum. Eccleſiam aliàs hanc ipſam ob cauſam ſeveritatem canonum relaxaſſe. Pontificem confirmaſſe in epiſcopum Cæſarauguſtanum qvendam uxorem & liberos habentem, & bigamum promoviſſe ad diaconatum, & propter Epiſcopi defectum Sacramentum etiam confirmationis presbyteris ſimplicibus commiſiſſe. Multis Catholicis & ante hæc tempora viſum eſſe, & adhuc melius videri cum lege de continentia diſpenſare, matrimonio in libertate relicto, qvàm eâ retentâ feneſtram immundiſſimo cœlibatui aperire. Præſertim cùm teneat Cardinalis Panormitanus, cœlibatum non eſſe de ſubſtantia ordinis, neq; de jure divino, imò pro bono & ſalute animarum fore, matrimonium concedere. Non deeſſe eam in rem exempla veteris Eccleſiæ in Concilio Ancyrano. Satis liqvere, Papam qvoad ſacerdotes ſeculares diſpenſare poſſe, qvod nonnulli etiam extendant ad Regulares. Videri perqvàm abſurdum non admittere clericos uxoratos, & tolerare fornicarios; utrosq; verò amovere, eſſe, miniſtris velle carere. Qvod ſi omninò voto caſtitatis adſtringendi ſint, non alios quam provectæ ætatis ordini ſacro adſcribendos. Nec eſſe juſtam cauſam cœlibatus mordicus retinendi conſervationem bonorum eccleſiaſticorum, cum haud æqvum ſit, conſervandis bonis tempo-*

ralibus

talibus tantam animarum jacturam facere : Præterquam quod eorum indemnitati alia ratione provideri queat. Hac ſi fierent, hauddubio brevi exploſum iri ex eccleſia concubinatum, & ſublatum illud ſcandalum, quod multos hactenus offenderet. Cardinalis Lotharingus qvoq; & Præſules Galliæ non unas attulerunt in medium rationes, quibus ſuffulti *Presbyteris ſaltem* licentiam ducendi uxores à Synodo poſtulârunt, uti hæc omnia habes in Hiſtoria Concilii Tridentini, qvæ ſub nomine Petri Svavis Polani lucem adſpexit. aaaaaaaa Sed ſurdis narrabatur fabula, qvia non videbatur Pontifici ad lùcrandum aurum & argentum conſilium hoc directum. Qvis neſcit enim Romæ paſſim proſtibula obvia eſſe, & publicas meretrices in partem mercedis vocare ipſum ſanctiſſimum Patrem, qui tributum ex ſcortatione colligit? Qvod cum Veſpaſianus olim ex urina impoſuiſſet, à filio monitus, poſtqvam nummum naribus ejus admoviſſet, reſpondit *Lucri bonum eſſe odorem ex re qvalibet.* Hoc axioma Pontifici placuit.

aaaaaaaa lib. VIII.

§. 64. Non tamen defuêre in medio Papatu, etiam *poſt Concilium Tridentinum*, qui contrà Papatum pro clericorum conjugio liberè & maſculè ſcriberent. Habes, *Lector*, præ aliis Clichtovæum, Espenſæum, Caſſandrum & Marcum Antonium de Dominis, qvos lege, & confiteberis, nec Orientem, nec Occidentem clericorum cœlibatui & perpetuæ continentiæ ex animo faviſſe unqvam.

TANTUM.

DE NON ORDINANDIS DIGAMIS & NEOPHYTIS

ex

I Tim. III, v. 2 & 6

DE DIGAMIS v. 2. *Gr*, *Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα*. *Syrus*; qvi fuerit maritus unius uxoris. *Aethyops*; qui unam uxorem duxit. *Vulgatus*, *Beza*, *Piscator*; unius uxoris virum. *Schmidius*, unius uxoris maritum. *Biblia ante Lutherum*; dat he ſy een Mann eenes Wyves. *Lutherus*; Eines Weibes Mann. *Emſerus*, *Dietenberg & Photiniana Verſio*; Nur eines Weibes Mann. *Batavi*; Eener Vrouwen Mann. *Angli*; The husband off one Wiſe.

§. 1 *Præceptum* Apoſtoli de unius uxoris viro non *poſitivum* eſt, ſed *negativum*, non *coactivum*, ſicut loqvi amat Jeſuita Hagerus, ut omnis epiſcopus ſit maritus, ſed *diſpoſitivum*, ut, qvi maritus eſt, unius uxoris ſit. *Οὐ νομοθετῶν τοῦτο φησὶν, ὡς μὴ εἶναι ἐξὸν ἄνευ τούτου γίνεσθαι, ἀλλὰ τὴν ἀμετρίαν κωλύων*, *Non ſanciens hæc dicit, qvaſi non liceat absq; uxore Epiſcopum fieri, ſed ei rei modum præſtituens*, uti præclarè loqvitur Chryſoſtomus. [a] Volebat olim Vigilantius, ſicut ex Hieronymo conſtat, ut nemo ordinaretur clericus, anteqvam uxorem duxiſſet, ne de

[a] Hom. X in I Tim.

pudicitia

pudicitia periclitaretur. Eundem errorem noſtratium qvibusdam affricare non pudet Juſtinianum, [b] contrarium atteſtante ipſo Bellarmino. [c] *Si quis, ut abſq; impedimento & tanto liberius ſacro miniſterio vacet, continere velit & per Dei gratiam poſſit, minimè repudiatur, ſed præ aliis, etiamſi cætera paria forent, meritò adſciſcitur & in maximo honore habetur,* dicimus cum B. Calixto. [d]

[b] ad h. l. c. II. de cler. c. 20.

[d] Tract. de con. cler. p. 31.

§. 2. *Myſticè*, & de *duabus*, partim *eccleſiis*, partim *doctrinis* verba Apoſtoli exponit Ambroſius. [e] *Si*, inqvit, *ad ſuperficiem tantum literæ reſpiciamus, prohibet digamum epiſcopum ordinari. Si verò ad altiorem ſenſum conſcendimus, inhibet Epiſcopum duas uſurpare eccleſias. Et ſi adhuc introrſus profundiora perſcruteris, monet ne poſt Catholicum dogma ſenſum inveniatur Epiſcopus habere hæreticum, ſed Chriſtianam tantum orthodoxam & Catholicam ſibi aſſociet fidem, ut unius tantummodò uxoris & catholicæ eccleſiæ vir Epiſcopus vocetur.* Non *literalem*, ſed *allegoricam* eſſe hanc explicationem ipſe Ambroſius agnoſcit, qvando *juxta ſuperficiem literæ* aliam & rectiorem dari non it inficias. Et qvidem qvod de duabus affert eccleſiis, ut rectè obſervat Hieronymus, [f] in Nicæna Synodo à Patribus decretũ eſt, ne de alia in aliam eccleſiam Epiſcopus transferatur. Ita enim habet canon prædictæ Synodi, [g] Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν. ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον. εἰ δὲ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου ὅρον τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειεν, ἢ ἐπιδοίη ἑαυτὸν πράγματι τοιούτῳ, ἀχυρωθήσεται ἐξάπαντος τὸ κατασκεύασμα, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ, ἧ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη. *Propter tumultus & ſeditiones, quæ fiunt, placuit*

[e] de dign. ſac. c. V.

[f] Epiſt. in ad Oceanum.

[g] can. XV

 omninò

omninò conſvetudinem tolli, qvæ præter canonem in qvibusdam partibus invenitur, ut à civitate in civitatem nec episcopus, nec presbyter, nec diaconus transferatur. Si qvis autem poſt definitionem ſanctæ & magnæ Synodi tale qvid aggreſſus fuerit, vel ſe rei ejusmodi dederit, qvod factum erit omninò infirmabitur, & eccleſiæ reſtituetur, cui fuerat episcopus, aut presbyter, vel diaconus ordinatus. Hoc loco tamen alienum eſt, ut meritò expoſitionem hanc *coactam* vocitet & *violentam* Hieronymus,[h] nec qvam approbet dignam judicet Oecumenius[i] Loqvitur Paulus de tali uxore, ex qva liberos ſuſceperit episcopus, &, ne de ſpirituali generatione explices, diſertè diſtingvit curam domus, i. e. liberorum & familiæ à gubernatione eccleſiæ. Præterea, qvis credat Apoſtolum in enumeratione axiomatum episcopalium qvindecim ῥητῶς, unicum verò ἀλληγορικῶς protuliſſe? Nec habent, qvod urgeant hanc explicationem Adverſarii, qvi, non una hodie contenti eccleſia, multos ad ſe rapiunt Episcopatus, iisq; non ut miniſtri, ſed Domini præſunt.

h l. c.
i ad h. l.

§. 3. Hieronymus nonnullibi[k] verba Pauli hoc modo vult intellecta: *Unius uxoris virum, qvi unam uxorem habuerit, non habeat.* Qvod tamen non tam aſſerit, qvàm refert, nec niſi theſi ſuæ contra Jovinianum, caſtam omninò omnem continentiam improbantem, inſerviens approbat. Sed de hoc alibi.

k lib. I adv. Jov. c. 20.

§. 4. *Monogamum* velle eligi Paulum certum eſt, quem *digamo* opponi nemo ignorat. Hunc ergò eligi vetat Paulus, qvem & olim ab eccleſia damnatum eiq; certum pœnitentiæ tempus definitum eſſe, veteres nos docent canones. Concilium Ancyranum.[l] ὅσοι παρθενίαν ἐπαγγελλόμενοι ἀθετῦσι τὴν ἐπαγγελίαν, τὸν τῶν διγάμων ὅρον ἐκπληρύτωσαν

l can. XIX

των. Qvicunq; virginitatem promittentes irritam faciunt ſponſionem, ii digamorum definitionem impleant. Neocæſarienſe, [m] Πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι. Ἐπεὶ μετάνοιαν αἰτοῦντος τοῦ διγάμου τίς ἔσται ὁ πρεσβύτερος, ὁ διὰ τῆς ἑστιάσεως συγκατατιθέμενος τοῖς γάμοις. *Presbyter in digamorum nuptiis ne conviveтur. Qvum enim pœnitentiam reqvirat digamus, qvis erit Presbyter, qvi illas nuptias iſto convivio comprobet?* Laodicenum; [n] Περὶ τοῦ δεῖν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα, τοὺς ἐλευθέρως καὶ νομίμως συναφθέντας δευτέροις γάμοις, μὴ λαθρογαμίαν ποιήσαντας, ὀλίγου χρόνου παρελθόντος, καὶ σχολασάντων ταῖς προσευχαῖς καὶ νηστείαις κατὰ συγνώμην ἀποδίδοσθαι αὐτοῖς τὴν κοινωνίαν ὡρίσαμεν. *Qvod oportet, ſecundum eccleſiaſticum canonem, eos qvi liberè & legitimè binis nuptiis juncti ſunt, neq; clandeſtinum matrimonium inierunt, exiguo tempore elapſo, poſtqvam precibus & jejuniis vacaverunt, ſecundum indulgentiam communionem ipſis reddi definimus.*

§. 5. Cæterùm *tres* obſervamus apud veteres *digamiæ* ſpecies: *Prima*, cum qvis binas ſimul habet uxores, qvam non tantum apud Paganos fuiſſe in uſu, ſed etiam apud Judæos impunem, nemo eſt qvi neſciat. Teſtatur Joſephus; [o] *Paternus mos erat, ut ſimul plures haberemus uxores.* Et Juſtinus; [p] Διδάσκαλοι ὑμῶν μέχρι νῦν καὶ τέσσαρας, καὶ πέντε ἔχειν ὑμᾶς γυναῖκας ἕκαστον συγχωροῦσι. *Magiſtri veſtri ad hoc usq; tempus, qvatuor & qvinq; uxores unumqvemq; veſtrûm habere permittunt.* Hæc verò Paganorum & Judæorum licentia Romanis legibus eſt prohibita. [q] qvò reſpicit Theophilus qvando, κεφαλικὴ, inqvit, ὥρισται τιμωρία κατὰ τῶν διπλοῦν γάμον συνιστώντων *Capitalis in eos pœna conſtituta eſt, qvi binas nuptias contrahunt.* [r] *Secunda* cum qvis morte prioris conjugis ſoluto matrimonio ſecundas nuptias contrahit, quæ tamen rectius ἔπειτα- & δεύτερο-

[m] can. VII
[n] can. I
[o] lib. XVII antiq. c. 2
[p] ad Tryphonem.
[q] l. 2. C. de inceſt. nupt. l. 18. C ad leg Jul. de adult. l. 8. C. de Judæis
[r] de nupt. §. 6. & 7.

ɣο-qvam διγαμία dicitur. *Tertia* paulo minus nota. Veſtigia ejus qvædam exſtant in edicto Prætoris; *Qvi bina ſponſalia, binasve nuptias eodem tempore conſtitutas habet, infamia notatur.* [s] Et alibi; *Qvod ait Prætor, eodem tempore, non initia ſponſaliorum eodem tempore factorum, accipiendum eſt, ſed ſi in idem tempus concurrant.* [t] Nimirum legibus Romanis *divortio* dirimebantur nuptiæ, ne tamen temerè & ſine judicio id fieret, hæc renuntiatio certis qvibusdam ac ſolennibus verbis fiebat, adhibitis ſeptem teſtibus civibus Romanis puberibus, ex capite ſcil. legis Juliæ, qvæ divortiis modum impoſuit, & præter formulam facta pro infectis haberi ſtatuit. [u] Matrimonia etiam nonniſi miſſo repudio nec ſine legitima cauſa disſolvi ſtatuerunt Impp. Conſtantinus & Theodoſius [w] eoqve jure, qvi qvæve ſine cauſa & absq; legitimo repudio alteram ducit, alterive nubit, binas nuptias eodem tempore conſtitutas habet. Eadem ratione eccleſiaſticis ſcriptoribus *digami* dicuntur, qvi priore conjuge absq; legitimo repudio, h. e. præter cauſam adulterii, dimiſſa, alteram ſuperinducunt. Planum qvippe eſt, divortiorum cauſas, excepto adulterio, legibus ſeculi olim receptas & ab Imperatoribus excogitatas, nunqvam ab eccleſia admiſſas fuiſſe. Atq; ideò, qvi *legitimè*, h. e. *ſecundum legis humanæ licentiam*, divertebant, & ad alias nuptias tranſibant, judicio eccleſiæ binas nuptias eodem tempore conſtitutas habere dicebantur, unde & iis canonica mulcta irrogabatur. Hanc digamiæ ſpeciem non obſcurè indicat Chryſoſtomus [x] Ἐπὶ τῶν ἰουδαίων ἐξῆν καὶ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, καὶ δύο ἔχειν κατὰ ταὐτὸν γυναῖκας. *Judæis licitum erat & binis nuptiis jungi, & duas itidem habere ſimul uxores.* Clarius Juſtinus; [y] καὶ οἱ νόμῳ ἀνθρωπίνῳ διγαμίας ποιούμενοι ἁμαρ-

[s] l. 1. ff. de his, qvi inf. [t] l. XII §. ff. eod.

[u] l. XXXV de donat. int. vir. & uxor. l. XLIII ff. de adult.

[w] l. 1. C. de repudio & l. VIII C. de eod.

[x] Homil. X in I. Tim.

[y] Apol. II

ται ἁμαρτωλοὶ παρὰ τῷ ἡμετέρῳ διδασκάλῳ εἰσί. *Ii, qvi lege humana binas nuptias contrahunt, peccatores ſunt apud Præceptorem noſtrum*, reſpiciens ad verba Chriſti Matth. XIX, 9. Sic Græcus Scholiaſtes Harmenopuli in epitome canonum; [z] Δίγαμός ἐστιν, ὁ καὶ ἑτέραν μνηστευσάμενος, καὶ ἑτέραν κατὰ [z sect. III. tit. 1.] νόμους ἀγόμενος, καὶ ὁ τὴν ἑτέρῳ μνηστευθεῖσαν ἀγόμενος. *Digamus eſt & is qvi aliam ſibi deſpondit, & aliam ſecundum leges duxit, & qvi alteri deſponſam duxit.* Et Joh. Xiphilinus Patriarcha CP. in Synodicâ de ſponſalibus, [aa] ὁ μνηστείαν συ- [aa lib. I ſent. Synod.] στησάμενος καὶ κατὰ νόμους διαλυσάμενος, εἶτα ἑτέραν ἀγαγόμενος, δίγαμός ἐστι. *Is, qvi ſponſalia contraxit, & ſecundum leges diſſolvit, alia deinceps uxore ducta, digamus eſt.*

§. 6. Cui *digamorum* ſpeciei *monogamum* Epiſcopum opponat h. l. Paulus, qværitur non immeritò. Hieronymus verba Apoſtoli torqveri poſſe in *Polygamos* haud adeò difficulter admittit, *Hoc qvod dicit*, inqvit, [bb] *unius* [bb Epiſt. LXXXIII cap. 2.] *uxoris virum, poteſt & aliter differi. Ex Judæis erat Apoſtolus. Prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliqviis congregabatur. Sciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moſi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſis qvoq; ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcipit ergo ne eandem licentiam eccleſiæ ſibi vindicent ſacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant.* Nec id negare auſus fuit Chryſoſtomus, qvi [cc] modum conſtituere his verbis & [cc l. c.] ἀμετρίαν κωλύειν τῶν γάμων Apoſtolum dicit, ἐπειδὴ ἀπὸ τῶν ἰουδαίων &c. Quare non eſt, qvod ſcribat Bellarmins; [dd] *Unus* [dd lib. I. de cler. c. 23] *eſt Theodoretus, qvantum legere potui, ex omni numero veterum, qvi per unius uxoris virum intellexerit eum, qvi duas aut plures ſimul uxores non habet.* Multò minus habet qvod valdè miretur Petavius, [ee] *Unum Theodoretum ſolos diga-* [ee in ani-]

 mos, qvi

madv. ad *mos, qvi plures ſimul uxores haberent, ab Apoſtolo repudiatos*
expoſ. fidei ſentire. Præter Theodoretum, cujus tamen major qvàm
Epiphanii ullius Pontificis Romani auctoritas, id ſentire Hieronymum & Chryſoſtomum, qvem uti aſſolet, ſectatur Theophylactus, jam docuimus. Theodoreti verba hæc ſunt; Τὸ δὲ μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα εὖ μοι δοκοῦσιν εἰρηκέναι τινές. Πάλαι γὰρ εἰώθεισαν καὶ Ἕλληνες καὶ ἰουδαῖοι, καὶ δύο, καὶ τρισὶ καὶ πλείοσι γυναιξὶ νόμῳ γάμου κατὰ ταυτὸν συνοικεῖν. Τινὲς δὲ καὶ νῦν, καίτοι τῶν βασιλικῶν νόμων δύο κατὰ ταυτὸν ἄγεσθαι κωλυόντων γυναῖκας, καὶ παλλακίσι μίγνυνται καὶ ἑταίραις. Ἔφασαν τοίνυν τὸν θεῖον Ἀπόστολον εἰρηκέναι, τὸν μιᾷ μόνῃ γυναικὶ συνοικοῦντα σωφρόνως, τῆς ἐπισκοπικῆς ἄξιον εἶναι χειροτονίας. *Illud autem, unius uxoris virum, mihi videntur qvidam rectè dixiſſe. Olim enim conſueverant & Græci & Judæi cum duabus, & tribus & pluribus etiam uxoribus ſimul jungi lege matrimonii. Qvin nunc etiam nonnulli, tametſi leges Imperatoriæ prohibeant duas ſimul uxores ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergò divinum Apoſtolum dixiſſe, eum qui cum una ſola uxore pudicè cohabitat dignum eſſe qui ordinetur epiſcopus.* Huic ſententiæ ex no-
ff in A. C. p. ſtris addicti ſunt Gravverus, ff Balduinus, Selneccerus, gg
1146 Hulſemannus. hh Ex Reformatis ipſe Calvinus, Beza,
gg ad h. l. Piſcator, Hyperius, Aretius. ii Ex Pontificiis Cl. Eſpen-
hh diſp. XII ſæus. kk
contr. Hagerum.
ii ad h. l.
kk in I. Tim. III.

§. 7. Δευτερο-γάμους ſeu eos qui ſecundis, etiam ſucceſſivè, implicantur nuptiis notari ab Apoſtolo vult Tertullianus, ita alicubi ſcribens. ll *Quantum fidei detrahant,*
ll l. I ad uxor c. 7. conf. l. de Monog. c. XI *quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam allegi in ordinationem, niſi univiram, non concedit.* Quò inclinare etiam videtur Ambroſius, vel quisquis auctor commentariorum in Epiſtolas Paulinas.

nas. Ita enim ille; mm *Quamvis ſecundam numero uxorem non ſit habere prohibitum: ut tamen quis dignus ad epiſcopatum ſit, etiam licitam debet ſpernere, propter ſublimitatem ipſius ordinis: quia cæteris melior debet eſſe qui cupidus eſt ſedis illius.* mm ad h. l.
Et Auctor Epiſtolæ ad Eccleſiam Vercellenſem; nn *Qui ſine crimine eſt unius uxoris vir, tenetur ad legem ſacerdotii ſuſcipiendi: qui autem iteraverit conjugium, culpam quidem non habet coinquinati, ſed prærogativa exuitur ſacerdotis* &c. nn l. III Epiſt
Huic ſententiæ mordicùs inhærent Lapidenſis, Juſtinianus, oo Bellarminus pp & Pontificii plerique omnes. Ex Reformatis eam, quod demiror, amplectitur Johannes Pricæus, Anglus. qq oo ad h. l. pp l. 2. qq in notis ad h. l.

§. 8. In eos, qui uxore temerè repudiata, alteram ſecundùm leges ſuperinducunt, digitum intendere Paulum vult alibi Chryſoſtomus, verba Pauli hoc modo explicans; rr Μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ. Καὶ τοὺς ἀσελγεῖς κολάζων, καὶ οὐκ ἀφεὶς μετὰ δευτέρου γάμου τὴν ἀρχὴν ἐγχειρίζεσθαι ταύτην. Ὁ γὰρ πρὸς τὴν ἀπελθοῦσαν μηδεμίαν φυλάξας εὔνοιαν, πῶς ἂν οὗτος γένοιτο προστάτης καλός; Τίνα οὐκ ἂν ὑποσταίη κατηγορίαν; ἴστε γὰρ πάντες, ἴστε ὅτι εἰ μὴ κεκώλυται παρὰ τῶν νόμων τὸ δευτέροις ὁμιλεῖν γάμοις, ἀλλ' ὅμως πολλὰς ἔχει τὸ πρᾶγμα κατηγορίας. οὐδεμίαν οὖν παρέχειν λαβὴν τοῖς ἀρχομένοις τὸν ἄρχοντα βούλεται. *Impudicos etiam coercet, nec permittit ut quis cum binis nuptiis ad eccleſiæ regimen dignitatemque aſſumatur. Qui enim erga eam, quæ* (repudiata) *diſceſſit, nullam benevolentiam ſervavit, quomodo is bonus eccleſiæ præſes erit? quam ille non ſuſtinebit reprehenſionem? noſtis enim omnes, quod etſi per leges permiſſum ſit ſecundis nuptiis jungi, rem tamen eſſe multæ criminationi obnoxiam: nullam igitur ſubjectis criminandi occaſionem Eccleſiæ præſidem præbere vult.* Idem certe videtur in mentem veniſſe Theodoreto, quando ſcribit; ss Εἰ μὲν γὰρ αὐτὸς rr Homil. II in Ep. ad Tit. ss l. c.

τὸς τὴν προτέραν ἐκβαλὼν ἑτέρᾳ συνεζύγη, μέμψεως ἄξιος καὶ κατηγορίας ὑπεύθυνος, Εἰ δὲ τὸ βίαιον τοῦ θανάτου διέζευξε τὴν προτέραν, ἡ δὲ φύσις ἐπικειμένη δευτέρᾳ ζευχθῆναι κατηνάγκασε γυναικὶ, οὐκ ἐκ γνώμης, ἀλλ' ἐκ περιστάσεως ὁ δεύτερος γίνεται γάμος. *Si enim ipſe, priore expulſa uxore, alteri fuerit conjunctus, dignus eſt reprehenſione, & accuſationi obnoxius. Sin autem vis mortis priorem disjunxerit, urgensq; natura ſecundæ uxori conjungi coëgerit, non ex voluntate, ſed ex caſu proceſſit ſecundum matrimonium.* Huic ſententiæ ex noſtris præ aliis favet B. Calixtus, [tt] ex Pontificiis Chriſt. Juſtellus, [uu] Ex Reformatis eam adoptant Rivetus, [ww] Junius, [xx] Molinæus, [yy] & alii.

tt de cœlib. cler. p. 33
uu in notis ad cod. can. eccleſ. univ.
ww cat. orthod. p. 187. 188
xx Tom. II oper. p. 1237
yy de novit. Papiſm. p. 649

§. 9. *Primam* ſententiam duobus impugnat argumentis Bellarminus. *Unum* ducit *ex tempore*, quo hæc Paulus ſcripſit. Nam *eo tempore*, inquit, *non erat conſvetudo, neq; apud Judæos, neq; apud Gentiles; & multò minus apud Chriſtianos, ut unus vir duas ſimul uxores haberet; proinde quod non fiebat, non erat ut tàm ſeriò prohiberetur. & quidem quod ad Gentiles attinet, ſatis patet ex eo, quod in Imperio Romano, quo tum orbis terrarum regebatur, ſemper infamis & prohibita fuit polygamia plurium uxorum ſimul. Vide ff. de his qui notantur infamia lege prima. Item, Codice de incoeſtis nuptiis, L. neminem & ad L. juliam de adulteris, L. eum qui; tametſi enim leges iſtæ paulò poſteriores Apoſtolicis temporibus, tamen indicant prohibitionem polygamiæ multò eſſe antiquiorem. Primus qui publica lege conceſſit polygamiam plurium uxorum ſimul fuit Valentinianus ſenior, ut Socrates refert l. 4. c. 26. ſed non diu ea lex duravit, cum conſtaret Imperatorem non alia de cauſa eam legẽ tuliſſe, quàm ut temperaret intemperantiam ſuam. Quod verò attinet ad Chriſtianos, nec non etiam Judæos, ex Teſtamento novo facile colligi poteſt, non fuiſſe apud*

eos

eos conſuetudinem, ut quis duas uxores haberet; ſemper enim de conjuge in numero ſingulari loquitur Scriptura N. T. Matt. V. c. XIX, Luc. XIV, 1 Cor. VII. Eph. V. Quin etiam Luc. I. legimus, Zachariam uxore ſterili usq; ad ſenectutem permanente, non tamen ſuperduxiſſe alteram, quod haud dubiè feciſſet, ſi eo tempore id fieri licuiſſet. Scribit quidem Joſephus l. XVII Antiq. c. 2. Herodi regi novem uxores fuiſſe: at privati homines etiam apud Judæos jamdudum deſierant plures uxores accipere. Sed invalidam nectit conſequentiam Cardinalis. Quod jam prohibitum erat lege civili, id Apoſtolus non debuit prohibere. Ergo nec homicidium, adulterium &c. deinde falſiſſimum eſt, eo tempore nec apud Gentiles, nec apud Judæos, nec apud Chriſtianos fuiſſe in uſu polygamiã. De gentilibus contrarium prolixè probat Chamier. [zz] Nec obſtant leges civiles ab Impp. latæ, quas Apoſtolicis temporibus poſteriores eſſe fatetur Bellarminus, & res ipſa demonſtrat. Lex 1. *ff. de his qui not. inf* lata eſt à Juliano Apoſtata anno Chr. CCCLXIII. Lex *Neminem C. de inceſtis nuptiis* à Diocletiano & Maximiano anno circiter CCC. Lex *Eum qui ad Leg. Jul. de adult.* à Valeriano & Gallieno A. C. CCLX. De Judæis res nota ex diſputatione Chriſti cum Judæis & Saducæis circà rem præſentem non olim habita Matt. XIX, 8. c. XXII, 25. Ex Juſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, Theodoreto ſuperius abs nobis adductis, quod nec it inficias Baronius. [aaa] Et ſi verum eſt, quod Bellarminus ait, [bbb] *In Concilio Neocæſarienſi vetitos eſſe Presbyteros, ne ſecundarum nuptiarum convivῖis intereſſent*, QUANDO QUIS DUAS UXORES SIMUL DUXISSET, utiq; ſeculo poſt Chriſtum quarto etiam inter Chriſtianos quoſdam adhuc polygamos fuiſſe apparet, id quod Eſpencæus fatetur. [ccc] *Secundo* Bellarmini argumento

zz Tom. III lib. XVII, cap. ult.

aaa ad an. Chr. LVIII.

bbb l. II de conc. c. 8. ad 4.

ccc l. c.

gumento plus ineſſe ponderis non negaverim. *Eodem* exiſtimat *ſenſu dicere Apoſtolum, ut Epiſcopus ſit unius uxoris maritus, quo 1 Tim. V, 9. dixerat, uxor unius mariti.* At nunquam fuit in uſu, ut una mulier eſſet plurium virorum uxor. Ita eſt. Polygamos habemus in Hiſtoria viros, qui duas, tresve domum ducebant uxores, at quæ binis ſimul concesſo matrimonio jungerentur maritis, nullas hactenus inveni mulieres; Quâ ratione, fateor, non parum motus ab hac ſententia diſcedo.

§. 10. *Deuterogamiam* hic eſſe prohibitam ex verbis Pauli non docemur. Vult ille *Epiſcopum eſſe unius uxoris maritum.* At non ceſſat eſſe maritus unius uxoris, qui unam tantum habet viventem. Relatorum natura id exigit, ut maritus deſinat eſſe maritus, ubi uxor mortua. Rogat tamen Bellarminus, *Si non eſt turpe epiſcopo ducere ſecundam, cur turpe fuiſſet juveni diaconiſſæ iterum nubere?* Reſpondemus non fuiſſe id turpe, cum Paulus eam jubeat iterum nubere: ſed turpe ei fuiſſe promiſiſſe quod præſtare aut non vellet, aut non poſſet. Tum alia ratio Epiſcopi, alia viduæ. Nam ſecunda uxor non revocat epiſcopum à munere Paſtorali, nihilò plus quam prima. At diaconiſſa non poteſt ſervire viro & eccleſiæ, tenetur enim virum ſequi, nec poteſt eo invito ſtudia ſua addicere eccleſiæ. Allegat Bellarminus auctoritatem *Patrum*, qui *Semper*, inquit, *hunc locum de monogamia ita intellexerunt, ut non liceat eum epiſcopum vel diaconum creari, qui duas uxores, etiam diverſis temporibus, habuerit.* At mendax eſt Cardinalis. Nam nec *omnes* Patres, nec *ſemper* ita ſenſerunt. Theodoretus tàm ex ſua, qvam aliorum ſententia apertè docet & demonſtrat contrarium, *ddd* inquiens; Οὐ γὰρ τὸν δεύτερόν φησι ἐξέβαλε γάμον, ὅγε πολλάκις τοῦτο γενέσθαι κελεύσας,

ddd l. c.

σας, γυνὴ γὰρ φησι, δέδεται νόμῳ ἐφ' ὅσον χρόνον ζῇ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς. ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, ἐλευθέρα ἐστὶν ᾧ θέλει γαμηθῆναι, μόνον ἐν κυρίῳ. καὶ πάλιν. λέγω δὲ ταῖς ἀγάμοις, καὶ ταῖς χήραις. καὶ συνάψας ἑκάτερον τάγμα, ἕνα τίθεικε νόμον. *Neq; enim ſecundum, inquiunt, rejecit matrimonium, qui illud ſæpe juſſit fieri: Mulier enim, inquit, alligata eſt lege quamdiu vivit vir ejus: ſi autem vir fuerit mortuus, libera eſt ut cui vult nubat, tantum in Domino. Et rurſus; dico autem innuptis & viduis, & utroq; ordine conjuncto, unam legem inſtituit.* Tertulliani autoritatem nimium quantum elevavit Gelaſius, qui omnes ejus libros judicavit Apocryphos.*eee* Certè de monogamia & ex- *eee* diſt. XV.
hortatione caſtitatis quos conſcripſit libros, non eſt quod contrà nos urgeat Bellarminus, quippe quos ipſe ſuſpectos habet,*fff* Nec id immeritò, ſcripſit enim illos *fff* de ſcript.
contrà Orthodoxos poſtquam ad Montani dogma jam eccleſ. ad
delapſus erat. Quod ad uxorem ſcripſerat de ſecundis ann. CCXXX.
nuptiis, id mox *ad ſecunda conſilia*, ut ipſe loquitur,*ggg* con- *ggg* l. II ad
verſus retractavit. Imò non obſtitiſſe ætate ſua ſacro or- uxor.
dini binas nuptias ipſe teſtis, cum in hæreſin delapſus id ſui temporis Catholicis objicit; *hhh Quot & digami præſi- hhh* l. de Mo-
dent apud vos? Scio, quid reponat Bellarminus. *Vel*, in- nog. c. XII.
quit, *aliqui digami ex diſpenſatione præſidebant: vel certè aliqui, qui alteram habuerant ante baptiſmum, qui multorum opinione non habebantur digami, etſi apud alios, in quibus Tertullianus erat, digami cenſerentur: vel tandem vitio & abuſu id fiebat; nec enim defendimus nunquam eſſe factum id quod fieri non debere dicimus.* Nugæ. diſpenſationes iſtiusmodi tum temporis in eccleſia uſitatas fuiſſe nunquam probabit Cardinalis. Nec, qui alteram habuerant ante baptiſmum, fuiſſe Tertulliano digamos probatur, contrarium ex capite hujus libri undecimo innoteſcit. Neq; tandem

quod vitio præſederint devterogami ulla verbi divini au-
iii hæreſ. LIX. ctoritate probari poteſt. Quæ Epiphanius affert, *iii* *Quod non ſuſcipiat ſancta Dei prædicatio poſt Chriſti adventum eos, qui à nuptiis mortuâ ipſorum uxore ſecundis nuptiis conjuncti ſunt, propter excellentem ſacerdotii honorem ac dignitatem*, à canonibus promanârunt eccleſiaſticis non divinis, neq; ab univerſa eccleſiâ, ſed ejus parte aliqua ſunt obſervata.
kkk l. c. Quæ Ambroſius *kkk* contrà ſecundas nuptias profert, itidem non ex divina lege, aut *eccleſiæ univerſalis* canone, ſed *Romanæ* atq; *Mediolanenſis* more loquitur. Hieronymo multa in hac materia contentionis ardor expreſſit, quæ probari nō poſſunt abs nobis, nec probata unquā ſunt à Pontificiis, qui iniquiorem fuiſſe matrimonio Hieronymum hinc inde fatentur.
lll Vid. Virveſius Phil. XVIII in Harm. Fabr. Eraſmꝰ, Cajetanus, Caſſander &c. *lll* In multis locis non tàm argumentatur, quam de ſui temporis eccleſiaſticorum continentia teſtatur. In commentario Ep. ad Titum recepto uſui aliquid largitur, tum quia ad Paulam & Evſtochium ſcribebat, quæ morem eccleſiæ Romanæ imbiberant jamdiū; tum quia malè apud multos Ruffini opera audiebat, quod Epiſcoporum canones contemneret. Quod ipſe aliàs devterogamis nō adeò fuerit infenſus, eodem loco his verbis docet; *Quod ait, unius uxoris vir, ſic intelligere debemꝰ, ut non omnem monogamum digamo putemꝰ eſſe meliorem: ſed quò is poſſit ad monogamiam & continentiā cohortari, qui ſui exemplum præferat in docendo. Eſto quippe, aliquem adoleſcentulum conjugem perdidiſſe, & carnis neceſſitate ſuperatū accepiſſe uxorem ſecundam; quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps vixerit continenter: alium verò usq; ad ſenectam habuiſſe matrimonium & uxoris uſum, & ut pleriq; exiſtimant, felicitatem, & nunquam à carnis opere ceſſaſſe: quis vobis è duobus videtur eſſe melior, pudicitior, continentior? utiq; ille*

qui in

qui infelix etiam in ſecundo matrimonio fuit, & poſteà pudicè & ſanctè converſatus eſt, & non is qui ab uxoris amplexu nec ſenili ſeparatus eſt ætate. Non ſibi ergò applaudat, quicunq; quaſi monogamus eligitur, quod omni digamo ſit melior, quùm in eo magis ſit electa felicitas quàm voluntas. Et alibi [mmm] Carterium Epiſcopum Hiſpaniæ defendens, quod quidam exiſtimarunt eum contra regulam Apoſtolicam ordinatum fuiſſe, quia duas uxores ſucceſſivè, unam ante, alteram poſt baptiſmum ſuum habuerat, *Miror*, inquit, *te unum produxiſſe in medium, cum omnis mundus his ordinationibus plenus ſit; non dico de presbyteris, non de inferioribus gradu, ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis ſynodi multitudo ſuperetur. Et paulò poſt; Verè ſcribarum & Phariſæorum ſimiles culicem liquantes & camelum glutientes, decimamus mentham & anethum, & Dei judicium prætermittimus: Quid ſimile uxor & ſcortum? Imputatur infelicitas conjugis mortuæ, & libido meretricia coronatur? ille, ſi prior uxor viveret, aliam conjugem non haberet, tu, ut paſſim caninas nuptias jungeres, quid potes excuſare? Forſitan timuiſſe te dices, ne, ſi matrimonium copulaſſes, non poſſes aliquando clericus ordinari*, &c. Auguſtinus [nnn] de *jure* non loquitur, ſed *facto* eccleſiæ non *univerſalis*, ſed *particularis*, quod non præjudicat. Chryſoſtomum malè allegat Bellarminus, qui per ἀπελθοῦσαν non intelligit *mortuam*, ſed eam quæ *repudiata diſceſſit*: nulla enim nos movet ratio, ut propria verbi ſignificatione ſusq; deq; habita minus propriam eligamus. Nec fert contextus hanc quam de repetitis nuptiis Bellarminus ſomniat interpretationem: Montaniſta enim pejor foret, ſi devterogamos ἀσελγεῖς vocitet, multisq; reprehenſionibus faciat obnoxios. De iis loqui Patrem, qui

[mmm] Ep. ad Oceanum.

[nnn] l. de bon. conj. c. XVIII.

uxores ſuas repudiantes nullam iis benevolentiam exhibuerant, ſuprà dictum eſt. Reliqvorum, qvi ſeqvioribus vixêre ſeculis adeoq; minoris ſunt auctoritatis, Scriptorum teſtimoniis ventilandis nunc non immoror. Jnvaluit enim ante complura ſecula, ut qvi uxore una mortuâ alterã duxiſſent, digami vel qvaſi digami haberentur.

ooo l. c.

Qvippe, uti loqvitur B. Calixtus. [ooo] *Videbatur redolere neſcio qvid incontinentiæ & propenſionis carnalis, ſi qvando ab obitu uxoris ad ſecunda vota tranſiretur. Omnes verò vel minimas ſuſpiciones ab epiſcopis voluerunt remotas. Etſi itaq; ſecundas nuptias non damnabant, eos tamen qvi contraxiſſent, ob illam qvalemcunq; ſuſpicionem declinandam Epiſcopatu prohibuerunt. Hujusmodi ſententiæ ſuppoſitæ verba Apoſtoli, ut fieri amat, accommodârunt.* Id verò condonare Bellarmino non poſſumus, qvod pro damnandis ſecundis nuptiis haud erubeſcit allegare canones Apoſtolicos, Concilium Neo-cæſarienſe & Nicænum I. Citius enim ex lapide expreſſeris aqvam, qvàm ex allatis auctoritatibus damnatam δευτερογαμίαν. Canonum Apoſtolicorum auctoritatem nullam eſſe dicimus. Primus ferè qvi illorum mentionem fecit, ſuit Epiphanius, [ppp] damnavit eos Concilium Conſtantinop. VI [qqq] Gelaſius cum ſynodo Romana pro apocryphis habet. [rrr] nec aliter ſenſit Iſidorus [sss] Sed poſito, minimè autem conceſſo, eſſe infallibilis auctoritatis, damnare eos δευτερογαμίαν negamus. Canon XVI ita habet; ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς μετὰ τὸ βάπτισμα, ἢ παλλακὴν κτησάμενος, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ, h. e. interprete Gregorio Haloandro, *Qvi poſt baptismum duabus implicitus fuit nuptiis, aut concubinam habuit, is epiſcopus, aut Presbyter, aut diaconus, aut deniq; in conſortio*

ppp hær. XXX
qqq can. II
rrr diſt. XV cap. S. Romana.
sss diſt. XVI c: canones

ſortio ſacerdotali eſſe non poteſt. Per τὸν δυσὶ γάμοις συμπλακέντα non illum qui duas habet uxores *ſucceſſivè* altera præmortua, ſed qvi duas habet *ſimul* intelligit Zonaras, & intelligendum eſſe vult conjunctio, qvæ inſtituitur cum pellice. Seqvens canon, qvi ſic habet; ὁ χήραν λαβὼν, ἢ ἐκβεβλημένην, ἢ ἑταίραν, ἢ οἰκέτιν, ἢ τῶν ἐπὶ σκηνῆς, οὐ δύναται εἶναι ἐπίσκοπος &c. *Qvi viduam duxit, aut divortio ſeparatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliqvam qvæ publicis mancipata ſit ſpectaculis, Epiſcopus &c. eſſe non poteſt,* de digamis nihil proponit. Concilii Neocæſarienſis canonem VII (VIII enim hac de re nihil habet.) hauddubiè non citaſſet Bellarminus, niſi oblitus fuiſſet illius triti; *Mendacem oportet eſſe memorem.* Loqvitur Concilium de eo, qvi duas ſimul uxores habet, ut exponit Gloſſa, [ttt] & hanc expoſitionem *rectam* vocat noſter Cardinalis, [uuu] Minus rectè ergò h.l. exponit canonem de eo, qvi duas habet ſucceſſivè. Juſtellus [www] de eo intelligit, qvi repudiata qvam habebat, aliam ſuperinduxit uxorem, qvem hoc nomine ſub *JCti* ſchemate caſtigat Petavius, [xxx] nulla tamen, qvæ quidem relatu digna eſſet, adducta ratione. Concilium Nicænum I ſecundis nuptiis adverſari probat Bellarminus non ipſius Concilii verbis aut canone ullo citato, ſed Ambroſii auctoritate. Reſpondet Junius, [yyy] *De hac re in ſynodo Nicæna nihil, nec alibi usqvam. Ambroſius procul dubio per conſeqventiam iſtud hauſit ex Paphnutii ſenis hiſtoria, qvi de eo apud Patres Nicænos laboravit, ne conjugatis epiſcopis & Sacerdotibus imperaretur ab uxoribus juſtis ipſorum abſtinentia, nihil urſit amplius, qvùm id viciſſe apud Nicænos Patres ſatis pro tempore judicaret fore.* At fieri mentionem *digamorum* in Nicæna ſynodo negare non auſim. Nam can. VIII cum

[ttt] XXXI qv. D. cap. De his

[uuu] l. II de Concil. c. 8

[www] ad can. univ. Eccleſ. ςέ.

[xxx] in animadv. ad Epiph. p. 344

[yyy] in Bellarm. contr. V, libr. I

VIII cum hæreticis, qvi ſe nominabant *Catharos*, profeſſionis formulam præſcribit, ſecundum qvam receptus illis ad eccleſiam pateat, πρὸ πάντων δὲ τοῦτο, inqvit, ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι, τουτέστι, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν, *Præ omnibus autem eos ſcripto profiteri oportet, qvod conſentient, & ſeqventur dogmata eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, i. e. & cum digamis communicare & his qvi in perſecutione lapſi ſunt.* De *tertii generis digamis* loqvitur ſynodus, ſed poſt pœnitentiam receptis, qvos non vult abs Novatianis contemni, damnari aut pro extorribus ab Eccleſia haberi. Et ſi demus Petavio, per *digamos* intelligi *deuterogamos*, certè tantum abeſt eos ab eccleſia rejectos, ut potius ab ea recepti, dilecti, & qvi cum iis communicare nollent pro hæreticis habiti ſint. Sed cui bono hæc? non opus eſt ut pro digamis militemus contra eos, qvi digamis, ubi ſpes lucri, ex aſſe favent. Audi confeſſorem M. Antonium de Dominis; [zzz] *Quotcunq; bigami volunt fieri ſacerdotes, omnes prorſus, ſoluto debito pretio pro taxa Cancellariæ, gratiam omnibus penitus perviam obtinent diſpenſationis: & ſacro Presbyteratus etiam ordine initiantur, ſine ulla neceſſitate, vel ubi maxima copia ſuppetit cœlibum & non bigamorum.*

zzz de Rep. Chr. l. II c. 10. n. 75

§. 11. Remanet ergò *tertia digamorum ſpecies*, eorum nempe, qvi ſoluto ſecundum leges priori matrimonio ducebant aliam, de qvâ loqvi Apoſtolum locus parallelus I Tim. V, 9. haud obſcurè innuit. Hoc enim digamiæ genus commune fuit tam viris, quàm mulieribus, apud Græcos æqvè & Romanos. Et de Viris qvidem res nota. De mulieribus qvoq; id teſtatur & profana

ſana & ſacra Hiſtoria. Ex Græcia, ſi profanam inſpicis Hiſtoriam, habes Solonem apud Plutarchum ſtatuentem τὴν γυναῖκα τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα παρὰ τῷ ἄρχοντι θέσθαι μὴ δι' ἑτέρου, ἀλλ' αὐτὴν παροῦσαν, *ut mulier non per alium ſed ipſa præſens diſceſſus literas apud principem deponat.* Ex Latio Cœlium apud Ciceronem, qvi, *Soror*, inqvit, [aaaa] *Triarii divortium ſine cauſa, qvo die Vir è provincia venturus erat, fecit. Nuptura eſt Decimo Bruto.* Et Senecam; [bbbb] *Nunqvid jam ulla repudio erubeſcit, poſtqvam illuſtres qvædam ac nobiles fœminæ non Conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſa, nubunt repudii; Tamdiu iſtud timebatur, qvamdiu rarum erat. Qvia verò jam nulla ſine divortio acta ſunt, qvod ſæpè audiebant, facere didicerunt.* Si ſacram evolvis Hiſtoriam, ex Græcia occurrit Juſtinus Martyr apud Evſebium, [cccc] qvi mulierem qvandam Chriſtianam, dato repudii libello, à viro, propter luxurioſos ejus mores, diſceſſiſſe memorat. Τὸ λεγόμενον, inqvit, παρ' ἡμῖν ῥεπούδιον δοῦσα, ἐχωρίσθη. Ex Latio Tertullianus, [dddd] *Ubi eſt illa felicitas matrimoniorum, qvæ per annos ferè ſexcentos ab urbe condita nulla domus repudium ſcripſit? ut nunc in fœminis repudium jam & votum eſt, qvaſi fructus matrimonii.* Sic Fabiolam legimus à marito ſuo diſceſſiſſe & alteri poſteà nupſiſſe, qvo nomine publicam ei pœnitentiam impoſitam fuiſſe tradit Hieronymus. [eeee] Huc ſpectat Concilii Eliberitani canon VIII, *Fœminæ, qvæ nulla præcedente cauſa reliqverunt viros ſuos, & alteri ſe copulaverunt, nec in fine accipiant communionem.* Qvæ & alia affert Chriſtophorus Juſtellus. [ffff] At, inqvies, deſertrix non poterat *deſerti uxor* dici, ſed ejus cui de novo nupſerat. Sit ita. Neq; Paulus eam, qvæ nupſit alteri, *uxorem* vocat, ſed eam, qvæ non nupſit. Imò

[aaaa] l. VIII fam. ep. 7

[bbbb] l. III de benef. c. 16

[cccc] l. IV H. Eccleſ. c. 17

[dddd] Apol. c. VI

[eeee] in Epit. Fabiolæ

[ffff] l. c.

verò, ſi juſta uxor injuſtè dimiſſa in ſecundas nuptias injuſtè tranſierat, *jure* illa manebat prioris uxor, *actu* verò poſterioris habebatur & dicebatur civiliter. Ut taceam,qvod notum eſt,ejusmodi nomina ex natura relatorum impoſita ſeqvi perſonas,etſi relatio,ut impoſitionis ratio,deſierit, qvomodo *Paſtores*, qvi vel renunciarunt vel depoſiti ſunt, vulgò nihilominus dicuntur paſtores.

DE NEOPHYTIS. v. 6

GR. Μὴ νεόφυτον. *Syrus*, nec ſit recentis diſcipulatus. *Arabs*, Ne ſit recens plantatus in fide. *Vulgatus*, Non neophytum. *Beza, Piſcator, Schmidius*; non novitium. *Tremellius*, neq; ſit puer doctrina ſua. *Biblia ante Lutherum edita*, De nye bekehret ſy tho deme Loven/ *Lutherus, Emſerus, Dietenberg & Photiniana Verſio*; Nicht ein Neuling. *Belga*; Gheen nieuwelingh. *Angli*; Not à novice.

§. 1. Fuiſſe olim, qvi ad *ætatem* ordinandi teneriorem hæc referrent, ex Theodoreto non obſcurè colligitur. Ita enim ille [a] Νεόφυτον τὸν εὐθὺς πεπιστευκότα καλεῖ. Ἐγὼ, γὰρ, φησιν, ἐφύτευσα. Οὐ γὰρ ὥς τινες ὑπέλαβον, τὸν νέον τῆς ἡλικίας ἐκβάλλει. Καὶ γὰρ ὁ μακάριος Τιμόθεος, πρὸς ὃν ταῦτα γέγραφε, νέος ὢν, ἔτι τοὺς νόμους τούτους ἐδέχετο. Μηδείς γάρ σου, φησι, τῆς νεότητος καταφρονείτω. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ θεῖος Ἀπόστολος νεανίας ὢν ἠξιώθη τῆς κλήσεως. *Neophytum appellat eum, qui jam primum credidit. Ego enim, inqvit, plantavi. Non enim, ut exiſtimârunt nonnulli, teneram ætatem excludit. Beatus enim Timotheus, ad quem hoc ſcripſit, adhuc adoleſcens leges has ſuſcepit. Nemo enim, inqvit, adoleſcentiam tuam contemnat. Qvin etiam ipſe divinus Apoſtolus, cum eſſet adoleſcens, vocatus eſt.* Conferantur Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius [b].

[a] comm. ad h. l.

[b] ad h. l.

§. 2. Et qvidem, qvod ad *ordinandorum autem* attinet, apud Judæos in initiandis ſacerdotibus ætas 30. annorum definita erat. Num. IV, 3. & I Chron. XXIII, 3 ubi in fonte legitur; מבן שלשים שנה ומעלה ועד בן חמשים שנה *A filio triginta annorum & ſuprà & usq; ad filium qvinqvaginta annorum* Convenit Targum Onkelos; מבר תלתין שנין ולעילא ועד בר חמשין שנין *A triginta annis & ſuprà & usq; ad qvinqvaginta annos.* Nec aliter Verſio Syriaca, Arabica, Samaritana, Vulgata. Sola, qvod noverim, Græca LXX interpretatio legit, Ἀπὸ εἴκοσι καὶ πέντε ἐτῶν καὶ ἐπάνω ἕως πεντήκοντα ἐτῶν. *A viginti & qvinq; annis & ſuprà, usq; ad qvinquaginta annos.* Hanc ſecuti ſunt Philo Alexandrinus [c] & Theodoretus. [d] Sed temeratus eſt ille locus, atq; omninò pro εἴκοσι πέντε legendum eſt τριάκοντα, ut præter alios Chriſtophorus Juſtellus obſervat [e] Hieronymus [f] *Recordetur legis antiqvæ*, inqvit, *& poſt 25. annos à Levitica tribu eligi in ſacerdotium pervidebit. Aut ſi in hoc teſtimonio ſolam Hebraicam ſeqvitur veritatem, noverit 30. annorum fieri ſacerdotem.* Poſtea cum numerus filiorum Levi accreſceret, legem annalem ſacerdotum breviori gyro contraxit David, eamq; *vigeſimo anno* definivit, uti videre eſt I Chron. XXIII, 27.

[c] libr. de eo qvod deterus potiori inſidiari ſoleat.
[d] qvæſt. XIII in Numer.
[e] in notis ad cod. can. univ. Eccleſ. p. 78.
[f] Epiſt. ad Theophilum Alex. adv. errores Joh. Hieroſ.

§. 3. Neq; verò Apoſtolos de ætate ordinandorum usq; adeò ſollicitos fuiſſe, ſi cætera convenirent, vel inde conſtare poteſt, qvod juvenis fuerit Timotheus, nec voluerit Paulus juvenilem ejus ætatem contemni. I Tim. IV, 12 μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω. Qvò reſpiciens Ignatius ſcribit; [g] καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ καταφρονεῖν τῆς ἡλικίας τοῦ ἐπισκόπου. *Vos qvoq; decet non contemnere ætatem*

[g] ad Magneſ.

Epiſcopi. Chryſoſtomus qvoq; vult in eligendo epiſcopo non tam *ætatis* rationem habendam, qvàm *virtutis* & *pietatis* [b] S. Remigium ætatis *anno vigeſimo ſecundo* Archiepiſcopum electum fuiſſe teſtatur Hieronymus [i] Et Elevterium, ut cætera exempla mittam, *vigeſimum* ætatis *annum* agentem, ob inſignem virtutem atq; pietatem, Jllyrici Epiſcopum ordinatum eſſe refert Nicephorus Calliſtus. [k]

[b] l. c.
[i] in vita B. Remigii
[k] l. III Hiſtor. Eccleſ. c. 29

§. 4. Veteres tamen canones *trigeſimum* ætatis *annum* ordinando, inprimis presbytero, præſcripſerunt. Concilium Neocæſarienſe, [l] *πρεσβύτερος πρὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μὴ χειροτονείσθω, ἐὰν καὶ πάνυ ᾖ ὁ ἄνθρωπος ἄξιος, ἀλλὰ ἀποτηρείσθω. Ὁ γὰρ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς ἐν τῷ τριακοστῷ ἔτει ἐβαπτίσθη, καὶ ἤρξατο διδάσκειν. Presbyter ante 30 annos non ordinetur, etiamſi valdè dignus fuerit, ſed hoc tempus obſervet. Dominus enim Jeſus Chriſtus trigeſimo anno baptizatus eſt & docere cœpit.* Idem poſteà confirmavit Synodus VI in Trullo [m] & Agathenſis, [n] qvæ habet; *Presbyterum vel Epiſcopum ante trigeſimum annum, id eſt, anteqvam ad viri perfecti ætatem perveniat, nullus ordinare præſumat.* Juſtinianus *35 annos* reqvirit, [o] *καὶ τοῦτο δὲ τοῖς ψηφίσμασι δεῖ ἐντίθεσθαι, ὅτι παρ' οὐχ ἧττον ἢ τριάκοντα πέντε τῆς ἡλικίας ἐνιαυτοὺς ἔχειν τὸν ἐπιλεγὲν παρ' αὐτῶν πρόσωπον γινώσκουσιν. Hoc qvoqve decretis oportet inſeri, qvia non minus qvàm triginta qvinqve ætatis annos habet is qvi eligitur, ab eis qvi cognoſcunt perſonam.* At poſteà ſatis ipſi fuit expleviſſe *annum trigeſimum, καὶ ὑπὲρ τὸ τριακοστὸν ἔτος εἶναι.* [p]

[l] canon. XI
[m] canon. XIV
[n] canon. XVII
[o] Nov. LXXIII c. 1
[p] Nov. CXXXVII, cap. 2.

§. 5. Nimirum, ut ex his videre licet, geminam imprimis ob cauſam trigeſimum in ordinandis urgebant veteres ætatis annum. *Primùm,* quia Lucas de baptiſmo Chriſti loqvens, *καὶ αὐτὸς* inqvit c. III, 23 *ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ*

ἐτῶν

ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος. *Ipſe autem Jeſus erat qvaſi triginta annorum incipiens.* Qvæ verba tamen nonniſi labile ſuppeditant fundamentum, qvandoqvidem particula ὡσεὶ nunc *affirmanter* utuntur Græci, nunc *dubitanter.* Ac priori qvidem notione acceperunt Ignatius, [q] qvi καὶ τρεῖς δεκάδας, inqvit, ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου, *Et annos agens triginta baptizatus eſt à Johanne.* Auctor ſermonis de jejunio, qvi Cypriano tribuitur; *Anno trigeſimo carnis aſſumtæ baptizato Domino.* Et Hieronymus [r] de ætate cujusq; Presbyteri loqvens; *Cum ad 30 annorum ſpatia jam pervenerit, puto eam in hoc non eſſe reprehendendam, qvæ juxta myſterium aſſumti hominis in Chriſto perfecta eſt.* Idem tenuit præter Chryſoſtomum & Evthymium [s] Bernhardus, [t] *jam triginta annorum*, inqviens, *ad baptismum ipſe perrexit.* At poſterior dictionis ὡσεὶ notio arriſit Irenæo & Epiphanio, quorum ille [u] *Ad baptismum*, inqvit, *venit, qvi nondum 30 annos ſuppleverat, ſed qvi incipiebat eſſe tanqvam triginta annorum.* Hic, [w] ἦν γὰρ τῷ μὲν ὄντι εἰκοσιεννέα ἐτῶν καὶ μηνῶν δέκα, ὅτε ἐπὶ τὸ βάπτισμα ἦκε, τριάκοντα μὲν ἐτῶν, ἀλλ' οὐ πλήρης. *Erat enim revera annorum viginti novem, & menſium decem, qvando ad baptismum venit, triginta qvidem annorum, ſed non plenus.* Conferantur qvæ obſervavit Joſephus Scaliger hac de re [x] *Secundò*, qvia ætas triginta annorum perfecti viri ætas eſt, qvæ ſolidam ſecum ac perfectam affert prudentiam, & majore tam animi qvàm corporis robore prædita eſt. Gregorius Nazianzenus, [y] ὡς τελείαν βάσανον ἀρετῆς, καὶ τοῦ διδάσκειν καιρὸν ταύτης ἐχούσης τῆς ἡλικίας, *qvia hæc ætas perfectam virtutis argumentum docendiq; maturitatem habet.* Theophylactus [z] αὕτη ἡ ἡλικία ἐστὶ τελειοτάτη, ætas illa perfectiſſima eſt. Et alibi; [aa] ἀνὴρ δὲ λέγεται ὁ κύριος. Τάχα μὲν καὶ διὰ τὸ τῆς ἡλι-

[q] Epiſt. ad Trallianos.
[r] l. c.
[s] ad Matth. c. III
[t] ſerm. IV de Epiph.
[u] lib. II adv. hær. c. 39.
[w] Hæreſ. LI
[x] l. VI de emendat. temp. p. 547 edit. ſec.
[y] Orat. XL
[z] in Luc. III
[aa] in Joh. I.

κίας πλεῖον. Τριακονταετὴς γὰρ ἐβαπτίσατο. *Vir autem dicitur fortaſſis propter ætatem perfectam, qvoniam 30. annorum erat cum baptizaretur.* Hæc ætas *perfecta ætas* dicitur in legi-
bb lib. X, tit. 2 bus Wiſigothorum, [bb] *ætas legitima* Theophilo, [cc] ἔννομος
cc l. inſtit. tit. de libert. §. 4. inqvit, ἡλικία ἡ ὑπὲρ τὸν λʹ ἐνιαυτῶν, *Legitima ætas eſt, quæ triceſimum excedit*: qvia ſcilicet eam ætatem in manumiſſo olim deſideraret lex Aelia Sentia, qua cautum refert Ul-
dd in frag. tit. I pianus, [dd] *ut minorem XXX annorum ſervum manumittere non liceret.*

§. 6. Hinc factum uti non admitterent ad Epiſcopatum Veteres eum qvi eſſet junior annis. Audi Hierony-
ee lib. I cont. Jovin. mum, [ee] *Propterea inter duodecim Apoſtolos unus eligitur, ut capite conſtituto Schismatis tollatur occaſio. Sed cur non Johannes electus eſt virgo? ætati delatum, qvia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens & pene puer progreſſæ ætatis homi-*
ff Epiſt. V ad Epiſcopos Britanniæ. *nibus præferretur.* Certè Gregorius VII [ff] admittere noluit juvenem qvendam præclarum genere & honeſtis moribus ad Epiſcopatus onus portandum. Nos qui ſcimus Samuelem, Timotheum, Titum juvenes ad officia publica vocatos iisdem benè & laudabiliter præfuiſſe, qviq; experimur indies ſæpè ſenes bis pueros, & juvenes inveniri ſenili prudentia præditos, ſtamus judicio Hieronymi ad
gg Epiſt. XIII Paulinum de inſtitutione Monachi ita loqventis; [gg] *Nolis, frater chariſſime, annorum nos æſtimare numero: nec ſapientiam canos reputes, ſed canos ſapientiam, Salomone teſtante: Cani hominis prudentia ejus. Nam & Moſes ſeptuaginta presbyteros jubetur eligere, qvos ipſe ſciret eſſe presbyteros utiq; non ævo, ſed prudentia judicandos. Et Daniel adhuc puer longævos judicat, atq; impudicos ſenes ætas laſciva condemnat. Noli, inquam, fidem penſare temporibus: ne me idcirco meliorem putes, qvod prior in Chriſti exercitu cœperim militare. Paulus Apo-*

lus Apoſtolus & vas electionis de perſecutore mutatus, noviſſimus in ordine, primus in meritis eſt, qvia, extremus licet, plus omnibus laboravit &c. Conf. Carolus Annibal Fabrotius,[bb] qui in ſubſidium juventutis advocat conſtitutiones Apoſtolicas, qvæ Clementi vulgò, ſed male, tribuuntur. Ita enim illæ; [ii] *Quod ſi in parva paroecia grandior natu aliqvis non reperitur, qvi teſtimonio probatus & ſapiens in Epiſcopum conſtitui poſſit, juvenis verò ibi eſt, teſtimonium habens eorum, qvi cum eo vixerunt, epiſcopatus munere illum dignum eſſe, in manſvetudine & modeſtia ſenectutem præ ſe ferens, & probatus talium teſtimonio commendetur, is conſtituatur in pace. Nam Salomon duodecimum agens annum in Iſraele regnavit: & Joſias octo annos natus regnavit in juſtitia. Item Joas in ſeptimo anno præfuit templo.* Sed pertenuis auctoritatis videntur eſſe hæ Conſtitutiones, qvas Patres CCXXVII in Trullo & Athanaſius pro Apocryphis habent. Sixtus Senenſis [kk] *jam olim de iis multum diſputatum* fuiſſe aſſerit. Bellarminus [ll] ſi non pro apocryphis, certè tamen pro *corruptis* habet. Conferantur Baronius,[mm] Perkinſius,[nn] Rivetus,[oo] & Scultetus.[pp]

§. 7. Qvicquid ſit, de ætate ordinandorum non loqvi hoc loco Apoſtolum vel exinde certum eſt, quod ad Timotheum ſcribit, qvi ipſe νεώτερος erat, quodq; non νέον vetat eligi, ſed νεόφυτον, uti præter Chryſoſtomum obſervat Theodorus Balſamon, qui,[qq] Καὶ ὁ μέγας δὲ παῦλος, inqvit, οὐ τὸν νέον ἀπαγορεύει, ἀλλὰ τὸν ἐκ νέου φυτευθέντα, *jam verò & magnus Paulus non juvenem probibet, id eſt, νέον fieri epiſcopum, ſed recens plantatum, qvod vocat νεόφυτον.*

§. 8. Nimirum νεόφυτος eſt ὁ νεωστὶ φυτευθεὶς, ut Suidas interpretatur, [rr] *recens ſatus vel natus*, newgewachſen/ h. e. qvi nuper ex gentiliſmo Chiriſtanam religionem amplexus,

bb in notis ad Balſamon. collect. conſt. Eccleſ.
ii lib. II, c. I
kk l. II Bibl. p. 49
ll de ſcript. Eccleſ.
mm An. Chr. XXXII,
nn Probl. de ement. Cathol. p. 16.
oo lib. I, crit. Sacr. c. 2
pp Tom. II Med. P. c. 5.
qq ad can. LXXX Ap.
rr ad hanc vocem

xus, per baptiſmum eccleſiæ Dei inſitus, inq; doctrina nondum ſatis confirmatus ſit, nec in vita ſufficienter probatus, ἄνθρωπος ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθὼν τῇ πίστει, *homo è gentili vita nuper accedens ad fidem*, uti explicat Concilium Nicenũ Oecumenicum I[ss] *qvi nuper ad fidem ex gentilitate advenit*, ut Ambroſius;[tt] ὁ εὐθὺς πεπιστευκὼς *qvi jam primum credidit*, ut Theodoretus;[uu] νεοκατήχητος, ut Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius[ww] habent. h. e. *qui recens inſtitutus eſt in doctrina fidei.* Hodiè dixeris eum, *qvi non ſatis expertus, vel, ut doctus ſit, non ſatis ſolidè doctus eſt*, juxta Hyperium,[xx] eum, *qvi recens ad ſtudia Theologiæ venit, quiq; non eſt probè exercitatus & tentatus*, juxta Flacium, eum, *qui vix à primo limine ſcholas ſalutavit Theologicas*, juxta[yy] Balduinum,[zz] eum, *qvi in his, quæ ad miniſterium neceſſaria ſunt, rudis adhuc eſt*, juxta Aretium.[aaa] eum, *qui vel ex cœtu Pontificio, vel è fanaticorum Scholis ſacramentariis aut Anabaptiſticis ad nos tranſiit*, ſecundum Selneccerum[bbb]

ss. can. II
tt c. V de dign. Sacerd.
uu l. c.
ww ad h. l.
xx ad h. l.
yy in annot. ad h. l.
zz in Epiſt. P. p. 1298. a.
aaa comm. in h. l.
bbb com. ad h. l.

§, 9. Ejuſmodi neophytos ordinari non vult Apoſtolus, nec permittunt canones eccleſiaſtici. Ita enim Concilium Nicænum;[ccc] Ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων, ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας, εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι προσάγειν εἰς ἐπισκοπὴν, ἢ εἰς πρεσβυτερεῖον. Καλῶς ἔδοξεν ἔχειν τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γίνεσθαι. καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα δοκιμασίας πλείονος. σαφὲς γὰρ τὸ ἀποστολικὸν γράμμα τὸ λέγον. Μὴ νεόφυτον; ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ Διαβόλου. &c. *Quoniam multa vel neceſſitate aut aliter cogentibus hominibus, facta ſunt præter canonem eccleſiaſticum, ita ut homines è gentili vita nuper accedentes ad fidem & exiguo tempore eru-*

ccc l. c.

pore eruditi ſtatim ad ſpirituale lavacrum ducantur, & ſimul atq; baptizati fuerint, ad Epiſcopatum vel presbyterium promoveantur; rectè habere viſum eſt, ut nihil deinceps tale fiat. Nam & tempore opus eſt catechumeno, & poſt baptiſmum probatione majore: apertum enim eſt Apoſtolicum ſcriptum dicens: Non neophytum, ne fortè inflatus in judicium incidat & laqveum Diaboli. Concordat Concilium Laodicenum,[ddd] περὶ τοῦ μὴ δεῖν προσφάτως φωτισθέντας προσάγεσθαι ἐν τάγματι ἱερατικῷ, *Quod non oportet eos, qvi recens ſunt baptizati, in ordinem ſacerdotalem promoveri.* Idem videtur intendiſſe Juſtinianus,[eee] ὁ κοσμικὸς, inqvit, ὁ εἰς ἐπισκοπὴν ἐπιλεγεὶς, μὴ εὐθέως ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ. ἀλλὰ πρότερον τοῖς κληρικοῖς οὐκ ἔλαττον τριῶν μηνῶν συναριθμηθῇ, καὶ οὕτω τοὺς ἁγίους κανόνας καὶ τὴν ἱερὰν τῆς ἐκκλησίας λειτουργίαν διδαχθεὶς, ἐπίσκοπος χειροτονηθῇ. ὁ γὰρ ἄλλους ὀφείλων διδάσκειν, παρ' ἑτέρων μετὰ τὴν χειροτονίαν διδάσκεσθαι οὐκ ὀφείλει, *Laicus, ad epiſcopatum electus, non repentè epiſcopus ordinetur, ſed primò clericis non minus tribus menſibus connumeretur, & ita ſanctas regulas & cotidianum miniſterium edoctus episcopus ordinetur. Qvi enim alios debet docere, poſt ordinationem ab aliis doceri non debet.*

[ddd] can. III

[eee] Nov. CXXIII, c.

§. 10. Idem à S. Patribus legimus qvammaximè reprehenſum, qvod Neophytorum ordinatio contra interdictum Apoſtoli per abuſum fuerit introducta. Tertullianus[fff] ordinationes hæreticorum *temerarias, leves & inconſtantes* vocitat, eò qvod *neophytos in ordine conlocarent.* Qvàm graviter verò Nazianzenus[ggg] invehitur in eos, qvi ὁμοῦ τι μαθηταὶ καὶ διδάσκαλοι τῆς εὐσεβείας, χθὲς ἱερόσυλοι, καὶ σήμερον ἱερεῖς. χθὲς τῶν ἁγίων ἔξω, καὶ μυσταγωγοὶ σήμερον, *ſimul diſcipuli & præceptores pietatis ſunt, heri ſacrilegi, hodiè ſacerdotes, heri extrà ſacra, hodie præſules myſteriorum.*

[fff] de præſcript. adv. hæret.

[ggg] Orat. funebr. in Athanaſ.

bbb Epiſt. ad Oceanum. *riorum.* Nec minus graviter Hieronymus, *bbb Heri catechumenus, hodiè Pontifex; heri in amphiteatro, hodie in eccleſia; veſpere in circo, manè in altario; dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator.* Et alibi; *iii* l. I adv. Pelag. c. 8 *iii Vult Paulus, ut non neophytus Epiſcopus ordinetur: qvod videmus noſtris temporibus pro ſumma eligi juſtitia. Si baptismus ſtatim juſtum faceret & omni plenum juſtitia, neqvaqvam utiq; Apoſtolus neophytum refutaret: ſed baptismus vetera peccata conſcindit, novas virtutes non tribuit, dimittit è carcere, & dimiſſo, ſi laboraverit, præmia pollicetur.* Conf. Bernhardus *kkk* & Innocentius Papa. *ll*

kkk Serm. LXIV ſuper cantic.

ll Epiſt. XII ad Aurel. Carthag. Ep.

§. ιη. Ambroſius tamen, ne qvidem neophytus, necdum baptismo initiatus, ſed adhuc catechumenus, à profana præfectura ad epiſcopatum, communi populi Mediolanenſis ſuffragio electus, ejusq; electio totius Eccleſiæ judicio, & Valentiniani Imp. conſenſu approbata eſt, ut ſcribunt Ruffinus *mmm* & Theodoretus *nnn* Sed hæc Ambroſii electio, ut rectè addit Chriſt. Juſtellus, divinæ potius qvàm humanæ juſſioni tribuenda eſt, ut teſtatur Nicolaus I P. R. in Epiſtola ad Photium CP. qvæ inter acta Concilii VIII Oecumenici exſtat: Ἀμβρόσιον, inqvit, τὸν ἐκ κατηχουμένου θείᾳ ἀποκαλύψει πρὸς ἐπισκοπὴν ἀναχθέντα οὐ χρὴ προσφέρειν ὑμᾶς. ἀρκεῖ γὰρ ἐκεῖ ἡ θεία καὶ οὐκ ἀνθρωπίνη κέλευσις. *Ambroſium ex catechumeno divina revelatione ad epiſcopum promotum nihil eſt qvod exempli cauſa proferas, etenim ibi ſufficit divina, non humana juſſio.* Sic Valentinianus Imperator electionem hanc confirmans apud Ruffinum ait, *Dei eſſe quod diſcordantem populi fidem & animos diſſidentes converſio ſubita in unum conſenſum, atq; in unã ſententiam revocaret*, aut, ut refert Theodoretus, παντὸς κανόνος ἀκριβεστέρας τὰς ψήφους, καὶ θείαν εἶναι τὴν ψῆφον ἐκ

mmm l. II Hiſt. Eccl. c. 11

nnn l. IV, c. 6

τοῦ

τὸ τῶν πεναντία φρονούντων συμφωνίας, *ipſa ſuffragia omni canone certiora, divinumq; eſſe ſuffragium ex diſſidentium concordia.* Atq; illud ipſum eſt, quod habet Canon LXXX qui dicitur Apoſtolorum, τὸν ἐξ ἐθνικοῦ βίου προσελθόντα καὶ βαπτισθέντα, οὐ δίκαιόν ἐστι παραυτὰ προχειρίζεσθαι ἐπίσκοπον. Εἰ μή πού κατὰ θείαν χάριν τοῦτο γίνοιτο, *eum, qui è vita gentili acceſſerit & baptizatus fuerit, protinus epiſcopum fieri æqvum non eſt, niſi fortè hoc divina gratia fiat.*

§. 12. Ratio, cur non debeant ad Epiſcopatum promoveri neophyti, ab Apoſtolo adducitur gemina, *implicita* una, altera *explicita*. *Illa* latitat in ipſa voce νεόφυτος, qvæ *metaphorica* eſt, ſignificans *plantam nuper natam*, quæ nondum altas egit radices. Sicuti hæc, cum ventus aliqvantò vehementius ſpirat, fundo extracta diſpellitur, vel, ubi æſtu ſolis ferventiori aduritur, flacceſſit: ſic is, qui recens ad Chriſtianismum acceſſit, & exiles adhuc jecit radices, à vento opinionum in hanc illamve partem agi & perſecutionum æſtu flagrantę aduri facile poteſt. Qvod periculum ut evitetur, præſtat non eligi neophytum, ne & ipſe, & qui ipſum audiunt diſpendium patiantur ſalutis. *Hæc* in verbis immediatê ſubjectis proponitur; ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου, *ne inſolens factus in condemnationem incidat Diaboli.* Τυφωθεὶς dicitur propriè qui *fumo infeſtatur*, & poſteà, qvi *criſtas erigit*, altos Spiritus ſumit, ac delirè inſoleſcit, dem die ladünklichen Dünſte in den Kopff ſteigen / qvod commune vitium eſt hominum, in qvocunq; ordine νεοφύτων plerorumq;. Neq; enim ad audendum fervidi tantum ſunt, ſed & ſtulta confidentia turgidi adeò ac ſi nubes transvolare poſſent. *Excluditur Neophytus*, ait Haymo, °°° *ne dicere poſſit, indigebat eccleſia mea ſapientia, ideò me ad fidem adduxit,* °°° ad h. l.

duxit, & ſuper ſe conſtituit. Iſtiusmodi inſolentiam *typhum ſuperbiæ* vocat Auguſtinus, ppp κατώδη τῦφον τοῦ κόσμου Concilium Africanum, qqq qvando Εκβιβαστὰς, inqvit, κληρικοὺς ὑμῶν τισὶν αἰτοῦσιν μὴ θέλετε ἀποστέλλειν, μήτε παραχωρεῖν, ἵνα τὸ καπνῶδη τῦφον τοῦ κόσμου δόξωμεν εἰσάγειν τῇ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ, ἥτις τὸ φῶς τῆς ἁπλότητος καὶ τῆς ταπεινοφροσύνης τὴν ἡμέραν τοῖς τὸν Θεὸν ἰδεῖν ἐπιθυμοῦσιν προσφέρει, *Executores clericos veſtros qvibuscunq; petentibus nolite mittere, nolite concedere, ne fumoſum typhum ſeculi in Eccleſiam Chriſti, qvæ lucem ſimplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Epheſini Patres τῦφον κοσμικῆς ἐξουσίας nominant. Cum enim in Concilio Oecumenico III relatum eſſet, Epiſcopum Antiochenum ordinationes Epiſcoporum provinciæ Cypri, præter eccleſiaſticas conſtitutiones & antiqvam conſvetudinem, ad ſe trahere, typhum illius coercent, μηδὲ ἱερουργίας προσχήματι ἐξουσίας κοσμικῆς τῦφος παρεισδύηται, μηδὲ λάθωμεν τὴν ἐλευθερίαν κατὰ μικρὸν ἀπολέσαντες, ἣν ἡμῖν ἐδωρήσατο τῷ ἰδίῳ αἵματι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, ὁ πάντων ἀνθρώπων ἐλευθερωτής, *ne forte ſub ſpecie adminiſtrationis rerum ſacrarum potentiæ ſecularis typhus irrepat, ſenſimq; imprudentes libertatem eam amittamus, qvam nobis proprio ſangvine Dominus noſter Jeſus Chriſtus, omnium hominum liberator, largitus eſt,* Typhi hujus *conſequens* eſt incidere eis κρῖμα τοῦ Διαβόλου, ad quæ verba ſatis belle Calvinus. rrr *Judicium Diaboli tribus modis interpretari licet. Nam diabolum qvidam pro Satana accipiunt, alii pro calumniatoribus. Priorem ſenſum magis amplector, qvia rarum eſt, ut judicium maledicentiam ſignificet. Sed rurſus judicium Sathanæ tam activè qvam paſſivè ſumi poteſt. Hunc poſteriorem ſenſum Chryſoſtomus ſeqvitur, cui ego facile aſſentior. Eſt enim elegans antitheſis, qua indignitatem*

ppp l. XI de C. D. c. 23. l. II de *Bapt.* c. 3

qqq in Epiſt. ad P. Cœleſt.

rrr comm. ad h. l.

tatem auget, ſi is qui præficitur eccleſiæ Dei ſua elatione in eandem cum Diabolo condemnationem ruat. Quanqvam activam ſignificationem non rejicio, fore ut Diabolo cauſam ſui accuſandi præbeat. Sed verior Chryſoſtomi opinio.

§. 13. Utinam hæc ad animum ſuum admitterent eligendi pariter & electores, ordinandi & ordinatores! Sic eſſet, de quo ſibi gratulari poſſet eccleſia Jeſu Chriſti. At, proh DEUM immortalem! quot reperiuntur hodie, qui vel precibus, vel obſequiis, vel muneribus, vel Marthæ ante ſpartam juncti, vel modis aliis illicitis ſacrum ordinem ambiunt non tantum, ſed & exambiunt, neophyti in eruditione, neophyti in ſancta converſatione, neophyti in tentatione & afflictione. Ubi vix Academiam ingreſſi, vix ter qvaterve ad Præceptorum ſuorum pedes ſederunt, vix unam alteramve prælectionem Theologicam audiverunt, imò vix Latinæ lingvæ rudimenta imbiberunt, mox in Poſtillis ediſcendis & coràm rudi populo recitandis noctes diesve deſudant, dein ſicubi advertunt collaudari abs vili plebecula vel flexilem, vel ſtentoream ſuam vocem, protenus ſeſe inſinuantes, Simonis vel Marthæ patrocinio uſi hos illosve ore aut manu delinire ſatagunt, Paſtores audire volunt, qvi nunqvam fuêre oviculæ; doctores, qui nunquam diſcipuli; duces qui nunquam milites, hodie in Oenopolio, cras in ſuggeſtu, von der Kannen zur Kantzel/ ſede primi, doctrina imi, lingva magniloqui, vita otioſi, ſermone multi, fructu nulli, vultu graves, eruditione leves, facie rugoſi, lingva nugatorii, contrà qvos haud immeritò intones illud Apoſtoli Rom. II, v. 21. *Qui alios doces, teipſum non doces?* &c. Hi præceptis ſuis Poſtillatoriis ruditate ac vitæ improbitate

pondus detrahunt omne, opere deſtruentes, quod ore ædificant, cœlum voce commonſtrantes, pede gehennam, lingvam Deo, animam conſecrantes Diabolo. Hæc ſundi noſtri calamitas. Hinc illæ lacrymæ. Qvis hic non exclamet cum Gregorio? [sss] *Quam iſte prædicationem habiturus eſt, qvi fortaſſe nunqvam audivit alienam? aut quomodo aliena mala corriget, qui nondum ſua flevit? Et cum ad ſacros ordines Neophytum Paulus Apoſtolus venire prohibeat; ſciendum nobis eſt, quia ſicut neophytus tum vocabatur, qvi adhuc noviter erat eruditione plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc novus eſt in ſancta converſatione. Scimus autem, qvod ædificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, niſi novitatis ſuæ humore ſiccentur. Et cum ad ædificium arbuſta ſuccidimus, ut prius viriditatis humor exſiccari debeat, exſpectamus, ne ex ipſa novitate curventur, & confracta citius corruant.* Videant iſtiusmodi electi & electores, quot quantisve periculis atq; κέρμασι ſe & gregem ipſius Dei ſanguine redemtum exponant, reddituri olim rationem ſtrictiſſimam viventium atq; mortuorum judici Jeſu Chriſto, qui miſereatur eccleſiæ ſuæ jamdum agonizantis, eheu! & tantum non exſpirantis propter ſanctiſſima ſua vulnera!

[sss] lib. IV Reg. c. 50

AMEN.

INDEX

INDICULUS Locorum Scripturæ

NUM. IV, v. 3 p. 75
II SAM. XVI, v. 4 p. 2.
I CHRON. XXIII, v. 3. & 27 p. 75
MATTH. XIX, v. 8 p. 65
v. 9 p. 61
v. 11 p. 28
MARC. I, v. 30 p. 1
LUC. III, v. 23 p. 76
ACT. XX, v. 30 p. 1
I COR. VII, v. 2. 3 p. 28
v. 4. 5. p. 3. 26
v. 10 p. 16
I COR. IX, v. 5. p. 1
I THES. V, p. 9
I TIM. II, v. 15 p. 28
CAP. III, v. 2 p. 3. 9. 56
v. 6 p. 74
CAP. IV, v. 3. p. 45
v. 12 p. 75
CAP. V, v. 9 p. 72
HEBR. XIII, v. 4. p. 28
APOC. XI, v. 8 p. 29

INDICULUS

Auctorum, qui in pagellis his citantur, & vel laudantur, vel confutantur.

Æneas Sylvius p. 50
Ambroſius p. 2. 21. 22. 57. 62. 68. 80
Andradius p. 16
Aretius p. 62. 80
Athanaſius p. 19. 78
Aventinus p. 43. 45. 47
Auguſtinꝰ p. 21. 23. 24. 26. 28. 29. 69. 84
Balduinus p. 62. 80
Balſamon p. 16. 26. 41. 42. 78
Banneſius p. 15
Baronius p. 35. 45. 65. 78
Becanus p. 51
Bellarminus p. 2. 4. 8. 10. 15. 21. 22. 26. 28. 31. 38. 41. 43. 44. 45. 51. 57. 61. 63. 64. 65. 66. 67. 70. 71. 78.
Benno p. 45
Bernhardus p. 77. 82
Beza p. 56. 62. 74
Calixtus B. p. 57. 64. 70
Calvinus p. 62. 84
Canones Apoſtolici p. 4. 70. 71. 83
Canus p. 30. 15
Caranza p. 17. 33. 34. 49

Caſſander

INDEX.

Caſſander p. 21
De Caſtro Alphonſus p. 16
Chryſoſtomus p. 3. 23. 27. 56. 60. 61. 63. 69. 74. 76. 77. 78
Cicero p. 73
Clemens Alexandrinus p. 1. 5
Romanus p. 78
Clichtovæus p. 20
Cocus p. 22
Concilium Africanum p. 26. 84
Ancyranum p. 8. 13. 58
Antiochenum p. 19
Arelatenſe II p. 14. 16
Chalcedonenſe IV p. 30. 39
Conſtantinopolitannm VI p. 39. 70. 78
Eliberinum p. 15. 73
Gangrenſe p. 15
Laodicenum p. 59. 81
Lateranenſe p. 49
Neocæſarienſe p. 9. 59. 71. 76
Nicænum p. 10. 57. 71. 80
Toletanum I p. 24. II p. 34. IV p. 31. 38. V ibid.
Coriolanus p. 33
Cyprianus p. 7. 8. 77
Cyrillus Hieroſol. p. 27
Dionyſius Exiguus p. 11. 15.
De Dominis M. Ant. p. 21. 72
Dounamus Georgius p. 44.
Epiphanius p. 12. 20. 27. 29. 68. 70. 77
Eraſmus p. 29
Eſpenſæus p. 21. 42. 62. 65
Evſebius Pamphili p. 4. 8. 11. 18. 73
Evthymius p. 77
Fabrotius Carolus Annibal p. 78
Flacius p. 80
Florentinus Vigornienſis p. 48
Fulgentius Ferrandus p. 11. 16
Gelaſius Cyzizenus p. 20
Papa p. 32. 33
Gravverus p. 62
Gregorius Magnus p. 37. 86
Nazianzenus p. 77. 81
Nyſſenus p. 13. 27
Hagerus p. 56
Haloander p. 70
Haymo p. 83
Henricus Huntingdonienſis p. 48
Hieronymus p. 14. 22. 58. 61. 68. 75. 76. 77. 78. 82
Hulſemannus p. 62
Hyperius p. 62. 80
Jeremias Patr. CP. p. 42
Ignatius p. 2. 28. 75. 77
Joſephus p. 39
Irenæus p. 5. 77
Iſidorus Hiſpalenſis p. 38
Junius p. 7. 64. 71
Jus Canonicum p. 4. 5. 10. 11. 16. 17. 20. 24. 27. 28. 35. 36. 39. 40. 49. 70. 71

Jus

Jus Civile p. 11.14. 42.60.65.76.81
Juſtellus p. 12.64. 71.73.75. 81
Juſtinianus Benedictus p. 57. 63
Juſtinus p. 59. 60
Lambertus Schafnaburgenſis p. 45
à Lapide Cornelius p. 3. 63
Leo M. p. 31
Matthæus Pariſienſis p. 45
Medina p. 51
Mercator Iſidorus p 16.
Molinæus Petrus p. 10, 16. 64
Nicephorus Calliſtus p. 76
Nicolaus Panormitanus p. 50
Oecumenius p. 58.74.80
Onuphrius p. 45
Onckelos Targum p. 75
Origenes p. 7. 27
Perkinſius p. 49. 78
Perronius p. 16
Petavius p. 63. 71
Petrus Paludanus p. 50
Philo p. 75
Photius p. 41
Piſcator p. 56. 62. 74
Platina p. 43. 50
Plutarchus p. 73
Polanus P. Svavis p. 51. 55
Poſſevinus p. 22
Pricæus Johannes p. 63
Rivetus p. 22. 64. 78
Ruffinus Aqvilejenſis p. 11
Salvianus p. 27
Scaliger Joſephus p. 77
Scholiaſtes Harmenopuli p. 61
Scotus Joh. Duns p. 50
Scotùs Marianus p. 45
Scultetus p. 78
Selneccerus p. 62. 80
Seneca p. 73
Sigebertus Gemblacenſis p. 47
Sigonius p. 45
Sixtus Senenſis p. 78
Socrates p. 10. 15. 30
Sotus p. 50. 51
Sozomenus p. 10
Suidas p. 10
Surius p. 17. 33. 34. 49. 78
Syneſius p. 23
Synodus Agathenſis p. 33. 76
Aqvisgranenſis p. 43
Aurelianenſis I p. 34. II. p. 36
Brixinenſis p. 45
Carthaginenſis II p. 25. 27
V. p. 26
Moguntinenſis p. 44
Tridentina p. 28. 51. ſeqq.
Turonenſis p. 32, II p. 37
Wormatienſis p. 44
Tertullianus p. 5. 62. 66. 73. 81
Theodoretus p. 30. 62. 63. 66. 74
75. 80. 82

Theophilus p. 59. 78
Theophylactus p. 74. 77. 80
Thomas Aqvinas p. 4. 49
Cajetanus p. 50
Trithemius Johannes p. 45
De Valentia Gregorius p. 51
Vasqvez p. 35
Verſio Bibliorum Aethyopica p. 56
Anglicana p. 56. 74
Arabica p. 74. 74
Belgica p. 56. 74
Dietenbergeri p. 56. 74
Emſeri p. 56. 74
Germanica ante Luth. p. 56. 74
Lutheri p. 56. 74
Photiniana p. 56. 74
Samaritana p. 75
Septuaginta interpp. p. 75
Syriaca p. 56. 74. 75
Tremellii p. 74
Vulgata p. 16. 56. 74. 75
Vincentius Bellovacenſis p. 48
Virgilius Polydorus p. 29
Ulpianus p. 78
Wolfius Johannes p. 50
Xiphilinus Johannes p. 61
Zonaras p. 41. 71

INDICULUS

Verborum & Rerum

A

Ætas ordinandorum ſacerdotum apud Judæos quæ? p. 75. ab Apoſtolis & Veteribus non tàm obſervata quam idoneitas *ibid* & *ſeqq.*
Ἀγαπηταὶ veteribus quænam? p. 14
Ambroſius ſvaſit cœlibatum clericorum. p. 21. non eſt auctor *Epiſt. ad eccleſiam Vercellenſem* & *commentariorum in Epiſt. Paulinas.* p. 22 ejus electio divina p. 82

Ἀναχώ-

INDEX

Ἀναχώρησις & *anachoreta* quid? *p.* 18
Anglia Seculo XII nondum probavit cœlibatum clericorum *p.* 48. 49
Anſhelmus primum clericis interdixit matrimonio in Anglia *p.* 48
Apoſtoli quidam fuerunt conjugati, *p.* 1. *ſeqq.* vocati à Chriſto non abdicarunt commercium conjugale. *p.* 2. admiſerunt conjugatos in ſacrum ordinem. *p.* 3
Auguſtini tempore in occidente continentes fuerunt clerici *p.* 23

B

Bavarus de reſtituendo clericorum conjugio cum Papa per literas egit *p.* 53
Bellarminus pervertit canonem IV Concilii Gangrenſis, *p.* 15. conjugium clericorum vocat Sacrilegium *p.* 28. mendacii convincitur. *p.* 66
Bonifacius VIII ſolennitatem voti pro invento eccleſiæ habuit *p.* 49
Britannia Seculo XI nondum agnovit cœlibatum Clericorum *p.* 48

C

Cæſar à Papa reſtitutionem matrimonii clericorum petiit *p.* 53
Cajetanus clericorum matrimonio favet *p.* 50. 51
Caliſtus I non inſtituit cœlibatum clericorum *p.* 7
Canones Apoſtolici nullius ſunt auctoritatis. *p.* 39. 70
Canonibus Conciliorum hactenus editis qvantum fidei tribuendum ſit? *p.* 15
Chriſtus quo anno baptizatus juxta veteres? *p.* 76. *ſeqq.*
Chryſoſtomum pervertit Bellarminus *p.* 69
Clemens III filios ſacerdotum admiſit in ordinem *p.* 49
Clericorum Romanenſium impuritas & ſcortatio notatur. *p.* 28. 29
Cœlibatus Sacerdotum à veteribus cur inſtitutus? *p.* 5
Concilium Ancyranum mala fide allegatur à Bellarmino *p.* 9. *Nicænum* non damnat *deuterogamos*. *p.* 71

mos. *p.* 71 meminit *digamorum.* *p.* 72
Conjugium clericorum non eſt prohibitum jure divino. *p.* 4 per ſe non eſt impurum. *pag* 28. etiam poſt Concilium Tridentinum à Papæis defenſum. *p.* 55
Conſtitutiones Apoſtolicæ malè tribuuntur Clementi *p.* 79. ſunt pertenuis auctoritatis *ib.*
Continentia etiam in conjugio locum habet. *p.* 27. non poteſt voveri abſolutè. *p.* 36. nec ſine prævia ſufficienti deliberatione *ib.* ejus ſponſionem non requirebant veteres ab invitis. *p.* 7

D

Dæmoniorum doctrina eſt conjugatos impudicis accenſere *p.* 28. 25
Deliberatio ſufficiens quot requirat annos? *p* 36
Deuterogami pro *digamis* habiti. *p.* 70
Digamia mulierum qvænam conceſſa veteribus? *p.* 72. 77
Digami olim ab eccleſia damnati. *p.* 58. *ſeqq.* eorum tres ſpecies. 59. admittuntur hodie à Papa ſine neceſſitate in clerum. *p.* 72
Divortio apud Romanos dirimebantur nuptiæ. *p.* 6. ejus ſolennitas. *ibid.*

E

Eccleſia orientalis ab occidentali ſchismate diviſa *p.* 49
Eleuterius vigeſimo ætatis anno episcopus ordinatus eſt. *p.* 76
Epiphanius non uſq; adeò favet cœlibatui clericorum *p.* 20
Epiſcopa in Concilio Turonenſi II vocatur uxor epiſcopi. *p.* 37
Epiſcopi in oriente per DCC à Chriſto annos erant uxorati. *p.* 42. *Quinqueccleſienſis* judicium de Concilio Tridentino. *p.* 52. *Romani* non contenti ſunt uno epiſcopatu. *p.* 58
Epiſcopum quomodo velit Paulus *unius uxoris virum?* *p.* 66

G

Galli reſtitutionem matrimonii presbyterorum poſtulârunt in Concilio Tridentino *p.* 5

Gelaſius

Gelaſius non omne ſacrarum perſonarum matrimonium inhibuit, nec omni modo *p.* 33. pro apocryphis habet canones Apoſtolicos. *p.* 39.
Græci admiſerunt epiſcopos uxoratos *p.* 23. rejecerunt in Concilio Conſtantinop. VI cœlibatum clericorum Romanenſium *p.* 40
Gratianus Impoſtor. *p.* 18
Gregorius M. admiſit uxoratos ad Sacerdotium. *p.* 37. *III* conjugio clericorum non fuit adverſus *p.* 43. ejus encomium ex Platina *ibid.* *VII* cœlibatum obtruſit occidenti *p.* 44. *ſeqq.* *Hildebrandus* qvaſi *Hellenbrandus* dictus *ib.* fuit necromanticus *p.* 45

H

Hieracitæ cohabitabant extraneis mulieribus. *p.* 12
Hieronymus cur infenſus matrimonio? *p* 22. 58. 68. ſatis benignè de eo judicat. *p* 23. deuterogamum defendit. *p.* 68. 69 ejus de ætate ordinandorum judiciu laudatur. *p.* 78. 79

ἄρα apud Græcos nunc *affirmanter* ſumitur, nunc *dubitanter.* *p.* 77

J

Jeſuitæ poſt duos annos abemiſſo voto ſimplici poſſunt fieri ſeculares. *p.* 35
Juniores ad epiſcopatum ordinariè non admittebant veteres. *p.* 78. poſſunt, ſi cætera conveniant, admitti. *Ibid.*
Junius caſtigatur *p.* 71
Juſtinianus Bened. Bellarmino contrariatur. *p.* 57. Vigilantii errorem falſò affricat Lutheranis *ibid.* *Imperator* in aſſignandis ordinandorum annis à ſeipſo diſſonus. *p.* 76

L

Legitimum divortium qvod? *p.* 66
Leo M conjugio clericorum non adeò fuit infenſus. *p.* 31

M

Milnai error notatur. *p* 17
Mulieres συνείσακτοι veteribus quæ? *p* 11

M 3 *Neophytis*

N

Neophytus non notat juvenem. *p.* 74. 79. quem deſignet? *ibid.* & 80. non permittitur ordinari ab Apoſtolo & veteribus canonibus. *ibid. ſeqq.* cur? *p.* 83

Nuptiæ ſecundæ non ſunt prohibitæ à Paulo. *p.* 66

O

Occidens noluit admittere jugum cœlibatus. *p.* 46. *ſeqq.*

Omne non ſemper eſt univerſalis acceptionis. *p.* 2

P

Papa Romanus ex ſcortatione tributum colligit. *p.* 55

Paphnutius matrimonii clericorum in Concilio Nicæno ſtrenuus defenſor *p.* 10

Patres non omnes damnant deuterogamos ſacerdotes *p.* 66. 67

Pelagius P. uxoratum admiſit ad epiſcopatum. *p.* 36. 37

Petavius caſtigatur. *p.* 61. caſtigat Juſtellū ſub ſchemate JCti *p.* 71

Petronilla, ſi credere fas eſt, Petri filia *p.* 2

Pius II conjugium clericorum voluit reintroductum. *p.* 50

Polycrates epiſcopus Epheſinus fuit uxoratus. *p.* 4. 5.

Polygamia tempore Pauli etiamnum fuit in uſu. *p.* 65. mulierum non patet ex Hiſtoria *p.* 66

Præceptum Pauli de epiſcopo *unius uxoris viro* qvale? *p.* 56

R

Remigius ætatis anno vigeſimo ſecundo Archiepiſcopus electus eſt. *p.* 76

S

Sacerdotes non cohabitabant uxoribus inconverſis *p.* 18. eorum translatio in Nicæna ſynodo vetita. *p.* 57. *Græcorum* abſtinebant ſe ab uxoribus tempore vicis ſuæ. *p.* 19. 26. 41. non colebant cœlibatum. *p* 42

Scortatio in clericis Romanenſibus toleratur. *p.* 29

Senes ſæpè bis pueri *p* 78

Septuaginta Interpp. error notatur *p* 75

Sodoma